PSALTERIUM LYRICUM, SEU PARAPHRASIS PRIMAE...

Nicola Avancini


Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 M K
22





6
21. K.
22

PSALTERIUM LYRICUM,

SEU

PARAPHRASIS

PRIMÆ QUINQUAGENÆ

PSALMORUM

DAVIDIS

Ad Horatii modos olim cantata

â

R. P. NICOLAO AVANCINO

Societatis JESU.

Nunc verò

Admodùm Reverendis, Religiosis, Nobilibus, Excellentibus, ac Doctissimis Dominis AA. LL. & Philoso. Magistris, SS. TheologiæBaccalaureis Formatis,

Cùm per Admodùm Reverendum, *ac Clarissimum* Patrem

FRANCISCUM RESCALLI è Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctorem, ejusdemq; Professorem ordinarium, nec non Inclytæ Facult. Theolog. p. t. Decanum Spectabilem

In Basilica D. Stephani Proto-Martyris Doctorali SS Theolog. laureâ solenni ritu condecorarentur,

A Theologia Viennensi dicata, consecrataq;.

Viennæ, typis Leopoldi Voigt, Anno 1696.

NOMINA
NEO-DOCTORUM.

Admodùm Reverendus, Religiosus, Nobilis, Excellens, ac Clarissimus Dominus JACOBUS CINI, Ordinis S. Augustini Canonicus, in Antiquissima ac Celeberrima Canonia Claustro-Neoburgi Professus.

Admodùm Reverendus, Religiosus, Nobilis, Excellens, ac Clarissimus Dominus ERNESTUS PERGER, Ordinis S. Augustini Canonicus, in Antiquissima ac Celeberrima Canonia Claustro-Neoburgi Professus.


Admodùm Reverendus, Religiosus, Nobilis, Excellens, ac Clarissimus Dominus MAURITIUS SCHWEIGER, Ordinis S. Benedicti, in Celeberrimo & exempto Monasterio Gottwicensi Professus.

Admodùm Reverendus, Religiosus, Nobilis, Excellens, ac Clarissimus Dominus CAROLUS GRUNDNER, Ordinis S. Benedicti, in Celeberrimo & exempto Monasterio Gottwicensi Professus.

Admodùm Reverendus, Religiosus, Nobilis, Excellens, ac Clarissimus Dominus GODEFRIDUS BESSELIUS, Ordinis S. Benedicti, in Celeberrimo & exempto Monasterio Gottwicensi Professus.

Admodùm Reverendi, Nobiles, Excellentes, ac Doctissimi Domini Neo-Doctores Clarissimi.

ROMA



C*Upressum victricibus Honoris Laureis innectere vobis videbimur*, Neo-Doctores Clarissimi, *dum hodiè in apertum gloriæ vestræ theatrum prorumpentes posthumum ingenij partum Vobis in perennis obsequij anathema consecramus. Verùm nihil â conditione vestra, nostraq; alienum molimur, quando triumphantibus Vobis inter honoris Theologici suprema insignia is Apollo accinit, Theosophiamq; vestram sub Lauri umbra consident em modulante Lyrâ adsalutat, quem olim hæc ipsa Archiducum, Cæsarumq; sedes Vienna & in Theatris suspexit Comicum, & in Antiquissimo hoc Archi-Gymnasio excepit Theologum. Capite proindè Solem in speculo, & magnitudinem in umbra veneremini. Calami mollioris Veneres, & lepôres abhorruimus, probè gnari Heroës Vos esse, purpurâ potiùs aut adamante*

mante

mante in ære ſculpendos. Præterquam quòd Theologi, & Viri ſacri in Honoris Amphitheatro compareant: nec ab Eloquentia flores, aut â Parnaſſo fabulas quærunt aut admittunt: ſuis contenti virtutibus, & hinc Magni. Quod enim Jovis ales, hoc Theologus eſt; ille in Solem, hic in DEUM obtutus figit irretortos. Uterq; tamen rarâ vel volatûs, vel ingenij pernicitate in alta enititur, quia uterq; neſcit contagia terræ. Admittite ergo Neo-Doctores Theologi *pro Auſtriaca veſtra, quâ nos ſovetis, humanitate, affectûs hoc noſtri erga Vos monumentum, &* Psalterium *hoc, quò vobis concentum Muſicum in applauſus adornamus, benevoli ſuſcipite: Davidicum eſt, quod veſtrum ad tactum diverſiſſimos ſonos in unam colliget gratiam, quæ etiam millies repetita nunquam nauſeam generabit, niſi Orci Præſidibus, quibus illæ ſolùm triſtiſſimæ ſunt næniæ, quæ Superis dulciſſimæ. Vivite & perennate: Ita precantur*

Honori Veſtro

addictiſſimi

Theologi Viennenſes.

TYPOGRAPHUS
AD LECTOREM.

NOn est, quòd multis operosè contendam, Amice Lector, ut tuam posthumo huic libello benevolentiam concilem. Solùm AVANCINI Nomen fronti præfixum amplissimi elogii vicem subit, quod, licet silentiô pressissem ego, ipsa florentis styli mascula vivacitas, & in argumento tam difficili nativa quædam, Auctoriq; suo propria spontaneæ, ac veluti sub lingua nascentis venæ felicitas abundè tibi prodidisset. Celebrantur concordibus literati Orbis applausibus reliqua Viri eloquentissimi opera, quæ tam vinctâ, quàm solutâ oratione supra duodena in lucem vivus edidit, pluraq; communi studiosæ juventutis bono, cujus semper vixit studiosissimus, edidisset, nisi eorũ aliqua typis jam parata sinister ca-

sus

ſus irreparabili jacturâ involviſſet, alia animô deſignâta aſſiduæ curæ miniſteriorum, quæ in Societate JESU præter ſupremum ejus Magiſtratum rarâ prudentiæ & dexteritatis laude geſſit univerſa, intercepiſſent. De palma cum omnibus decertâſſet Pſalterium Davidicum, cui ad Horatianos numeros piè admodulando ſupremas ſexagenariæ Lyræ voces conſecraturus erat Divino cantui immoriens Cygnus; ſed & huic ſenili conatui medio in curſu graviſſima primùm negotia, tum ferrea mortis jura interceſſerunt. Sola prima Pſalmorum quinquagena poſt ejus funus, ab ipſis etiam Auguſtiſſimis Capitibus deploratum, reperta eſt, cujus typis meis vulgandæ gloriam mihi obtigiſſe plurimùm ſanè gratulor. Tu fruere tanti Poëtæ ingeniô, & labore meo. Vale.

Leopoldus Voigt,
Typog.

PSALMUS I.

Juſtorum felicitas, impiorum miſeriæ, & diſpar exitus.

Beatus vir, qui non abiit, &c.

ILlum beatum dixeris, impii
Qui non ſecutus conſilii viam:
Ductumq; pravorum, ſcholæq;
Peſtiferæ documenta fugit.
Puruſq; mentis candidæ, & innocens,
Divinitatis legibus imbuit
Sinum: neq; hac curâ ſolutum
Sol oriens, moriensvè ſpectat.
Illum virentem dixeris arborem,
Quam vitreorum gratia fluminum
Fœcundat, & crines amœno
Flore replet, gremiumq; fructu.
Si pòſt December ſævus inhorreat,
Hyemſq; ſylvas crinibus exuat;
Conſtans virebit, nec valebit
Acre gelu violare frondem.
udente quid quid mente notaverit,
biq; agendum fixerit, exitu
Ducet ſecundo, & fauſtitatis
Ætherio pluet imber axe.
Non hæc reorum conditio eſt: virent
Surgente Phœbo, veſpere defluunt;

Et pulverum inſtar vile in auras
Ludibrium rapiuntur Euris.
Hinc multa quamvis turba nocentium
Seſe innocentûm miſceat ordini,
Et ſæpe felicem ſceleſtum
Sors videat meliore vultu,
Et innocentem perpetuis virum
Premat flagellis; ultima linea
Diſcernet actûs, diſpariq́ue
Falce metet Libitina vitam.
Nam, cùm ſupremi Judicis ultimus
Pandetur actus, gloria Cælitum
Juſtos vocabit; ſub profundi
Stagna Erebi ruet impiorum
Damnata pœnis turba perennibus
Urenda flammæ. Diſcite poſteri,
Nos judicandos, arbitrumq́ue
Eſſe Deum, vigiliq́ue noſtra,
Spectare vultu. Si via proſpera
Nunc impiorum eſt, tunc malè lubrico
Lapſu ferentur ſub profundi
Sulphureas Acherontis undas.



PSALMUS II.

In perſona Chriſti deſcribit, quas paſſura eſt contradictiones lex Evangelica: deſcribit hujus triumphum; & memoriâ finalis judicij exhortatur ad timorem Dei.

Quare fremuerunt gentes, &c.

QUæ cauſa flammas gentibus injicit,
Movetque in iras? ſeditionibus
Quis miſcet inſanos tumultus?
Et populos agit in furorem?
Qui ſceptra torquent, qui populo imperant,
Jungunt ſceleſto fœdere dexteras
Contra Tonantem, in filiumque
Sacrilego rapiuntur æſtu.
Rumpamus, ajunt, queîs malè ſtringimur,
Colli catenas; quoque gemit jugo
Depreſſa cervix, illud unâ
Impavidi laceremus irâ.
At qui polorum præſidet atriis,
Certoque mundum comprimit ordine,
Deridet inſanos labores,
Ludibrium populi futuros.
Si pòſt ſerenæ frontis in aream
Nubem furoris contrahat, ilicet
Pavore concuſſi jacebunt,
Vel pedibus ſine lege pennas.
Addent fugaces. Tunc ego regiâ
Frontem coronâ cinctus, in edito

Sione sedem collocabo, &
Jura Dei, facilemque legem
Vulgabo terris? At Pater, huc ades,
Inquit, meorum gratia luminum,
Mentisque partus; teque Patris
Progeniem veneretur orbis.
Quodcunque posces, protinus affluet
Hæreditatis nomine, gentium
Avita jura, & quidquid igne
Sol veniens abiensque lustrat.
Si quæ rebelles gens violentior
Instauret ausus, comprime ferreo
Æstum flagello, frange dorsum,
Ceu figulus sua vasa frangit.
Audite Reges, quos solio Deus
Celso locavit: discite Principes
Timere Numen, debitique
Obsequiis cumulare amoris;
In jussa pronum subdere verticem
Legi Tonantis; ne propero dies
Adsit volatu, ac imparatos
Tartareas agat in cavernas.
Audite Reges: Imminet, imminet
Vindicta cœli, jamque propinquius
Sonat flagellum, quo ferocis
Sævities animi edometur.
At vos beati, qui per amabilem
Docti æquitatis currere semitam;
Sperare vobis tunc licebit,
Cùm reliquos premet ira cœli.

PSALMUS III.

In persecutionibus erigit se spe divini auxilii, & implorat cœli benedictiones.

Domine, quid multiplicati sunt, &c.

AUdi querelas, & gemitus meos,
O mite Numen! Cernis, ut impiâ
Agor procellâ, hostiumque
Mole premor, neque parte ab ulla
Certæ salutis spes mihi promicat?
Instant, minantur, composito agmine
Premunt inermem, destinantque
Me Lachesi malè victimandum:
Et dum labantem multiplici vident
Me sub procella; destitui manu
Cæli adjuvantis arbitrantur:
Inde furor, rabiesque crescunt.
Surgamus, ajunt, jam nihil æthere
Sperare præsens auxilii potest:
Surgamus, & concisa membra
Alitibus lanianda demus.
Sed vana jactant. Tu mea gloria,
Tu spes salutis: nec pateris diu
Premi innocentem: tu levabis
Me pavidum, & religabis aureâ
Caput coronâ. Nam quoties mihi
Pulsatus æther, & gemitu pio
In vota Numen provocatum,
Certa salus mihi lapsa cœlo est.

Si quæ hora fluxit, quâ mihi dexteram
Negare visus (sed brevis hæc fuit)
Tamen malorum mole major
Vivo super, trepidique vivo
Expers timoris, dum tua protegit
Me dextra scuto. Si mihi militis
Congesta moles in cruentam
Arma ferat sociata cædem,
Nil expavescam, nec trepidum gelu
Per ossa curret. Scilicet in tuo
Sinu quietus jacta vilem
Disco jocum jacula æstimare.
Tu namque prono verbere dissipas,
Quæcunque nostro fulmina vertici
Cædem minantur, dentiumque
Vim reprimis malè Sævientûm.
Canamus ergo, ac ultimus audiat
Nos cardo terrarum: A Domino est salus;
Omnisque virtus: ille Justis
Præsidium, clypeumque præstat.

PSALMUS IV.

In angustias ab Absolone redactus hortatur hostes ad Dei cultum, & contra eos auxilium implorat.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ, &c.

SI quando cœlo propitium mihi
Sidus vocavi, protinus adfuit

In vota Numen, providoque
Auxilio retudit ferocem
Nubem malorum: quodque necessitas
Angustiarum mille pavoribus
Pectus coarctabat, sereno
Lætitiæ statuit theatro.
Et nunc eodem lumine respice
Me deprecantem, Numen amabile,
Dum lingua fervet, bulliensque
Mens rigidam meditatur oden
In insolentes. Quò malè prorsùs
Mortale vulgus, cui rigido grave est
Pectus metallo? quam tuorum
Constituis tibi metam amorum?
Heu! vanitatem; quam fugat horula:
Mendacium; quod deteget Hesperus.
Quodcunq;amatis,somnus,umbra est;
Umbra fugax, & imago somni.
Nescitis, igneo quam Deus addidit
Zelo facultatem insolitis modis
Miranda agendi? Si vocâro,
Excipiet mea vota Numen.
Audite surdi. Si furor injicit
Flammam medullis, non veto pectora
Fervere in iram: sed sequatur
Imperium rationis ira.
In vos furoris vertite spicula,
In vestra totis crimina viribus
Tonate. Quàm vellem, tyrannus
Quisque suæ foret ipse culpæ!

Ipsi latentis pingite imaginem
Cordis, quod alto mergitis in luto,
Horaque nocturnæ quietis
Irriguis lachrymis lavate.
Quid mugientes cogitis impiam
Boves ad aram ? quid vitulos datis
Sacram in securim ? quid fluente
Innocuæ violatis agnæ
Cruore terram ? cœdite, cœdite
Cupiditates pectoris improbi
Semper rebelles, quæ feroce
Bella cient animis tumultu.
Hæc grata solùm victima Numini est:
Hæc sola cœlum propitium dabit.
At multa fœx, ignara Divûm,
Ingenii putat ista ludum.
Quis ista tersis auribus, inquiunt,
Audivit unquam, quæ tibi fabula
Cantat inani, dona cœli,
Delicias & amœnitates,
Quas spondet æther ? Hæc procul ultimis
Reposta terris, extra hominum vias
Remota, deludunt labores,
Et facilis fidei appetitum.
O cœca, & atris nubibus obsita
Mortalium mens ! Erige lumina,
Vivoque pictam in te colore
Numinis effigiem intuere.
Huc purioris lumina pectoris
Dum flecto, meque haud absimilem Deo

Ad-

Admiror, exulto, & penetrat
Lætitiæ ſeges in medullas.
Jactate porrò ſortis amabiles,
Stulti, favores, quod vel in horrea
Dives Canopus conferatur,
Vel liquidas ferat in tributum
Moab olivas, vel Cyprus impleat
Fœcunda cellas: ſcilicet auctior
Fortuna curas mentis auget,
Atque animi laniat receſſus.
Ergo ſub umbrâ Numinis abditus,
Dies ſerenos lætior exigam,
Et nocte tranquillâ quietos
Ducam oculis animoque ſomnos;
Dum me ſupremi dextera Numinis
Tuetur: illo ſpes mea nititur,
Quam nulla Martis ira, nulla
Eripiet mihi vis tyranni.

PSALMUS V.

Ad ortum ſolis, noctiſque fugam, deſcribit odium, quo Deus in peccatores fertur: & prædicit ſuis adverſariis pœnas, & juſtis præmia.

Verba mea auribus percipe Domine, &c.

QUi ſupra Olympi ſidera conſides,
Solemque calcas, & ſola deſpicis;
Admitte clamorem vocantis
Aure piâ, placidoque vultu.

Nam quò recurram? Tu mihi es anchora
Inter ſonantis fulmina Nerei,
Tu ſpes ſalutis, tu labantis
Præſidium columenq́ue vitæ.
Cùm manè Titan aurea flammeo
Urget flagello ſidera, & æthere
Detergit umbras noctis, ad te
Verto oculos, animiq́ue vocem.
Nec tu benignis auribus abnuis
Audire votum. Sollicitudinum
Hæc prima me urget, quando ab ortu
Sol juvenis radiante vultu
Arridet orbem: me tibi ſiſtere
Præſentem, & alto pectore Numinis
Haurire lucem, quâ fugantur
Perfidiæ ſcelerumq́ue noctes.
Nam ceu marito fœdere neſcia eſt
Jungi umbra luci, ſic fugit à tuo
Aſpectu iniquus, nec ſceleſto eſt
Ante tuos via tuta vultus.
Quicunq́ue greſſu non bene provido
Viam nocendi calcat, & impudens
Mendace linguâ machinatur
Corde dolos, animoq́ue fratris
Sitit cruorem, vel parat impio
Mucrone cœdes; hic tibi patrium
Extinguit affectum; huic Averni
Sulphureos minitaris ignes.
At me juvabit tegmine protegi
Tui favoris, quæq́ue tuo ſacræ

Splen-

Splendore majeſtatis imples
Templa, gradu reverente adire,
Et curvo ad aras poplite ſupplices
Levare vultus. Tunc ego gaudio
Laxabo pectus, ſpeq́ue plenus
Ore tuas memorabo laudes.
Dicamq́ue lætus: Tu mihi ſemitam
Pande æquitatis: tu rege lumine
Gradum ambulantis: nam cruentos
Turba ferox acuêre dentes
Tu me innocentem. Quàm procul aviis
A veritatis tramite paſſibus
Stulti recedunt! Vanitatis
Corde fovent animoq́ue fumum;
Quodſi loquuntur, ceu tumulo gravis
Exhalat aura, & ſidera Colchico
Afflat veneno, dum nocentes
Lingua procax meditatur aſtus.
At non ſecundo ſemper iniquitas
Ibit triumpho. Tu rigidum, Deus,
Ream ad tribunal evocabis
Supplicium ſceleri daturus.
Quæ cogitârunt, irrita concident
Labore caſſo, & diffugient tuâ
A fronte, Numen, quod ſceleſto
Impietas violavit auſu.
At, fixa cœlo queîs ſtetit anchora
Ignara flecti, queîs amor eſt tui
In corde deſcriptus, perennis
Lætitiæ ſtatuent triumphos;

Illamque ducent gloriæ amabilis
Partem supremam, se manuum tegi
Umbrâ tuarum, teque eorum
Pectoribus statuisse sedem.
Atque hæc tuorum est gratia munerum,
Quâ pendis actis præmia: tu tuis
In orbe scutum es, pòst corona,
Quæ veniet redimire frontes.

PSALMUS VI.

Petit suis erroribus indulgeri, & ab inferno liberari: detestatur suos reatus, & sperat veniam.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira, &c.

NE Numen armis fulmineis tuos
In me furores exere; sim licet
Reus: nec irâ metiâre
Supplicium meritamque pœnam.
Infirmus urnæ jam propior meæ
Languente ductu vix traho spiritum.
Tu Numen adsis, & cadenti
Porge manum, medicosq; morbo
Affunde succos. Cernis, ut ossium
Compago nutat? nec bene sustinent
Artus labantem, dum laboro
Membra suo relevare strato?
Vides, ut angor pectoris intima
Dirè occupavit? Me cruciat dolor,

Timorque, & immitis remorſus
Spinâ animam laniante pungit.
Et tu paterni viſcera pectoris
Occludis ægro? nec grave rejicis
Fulmen? nec extinguis furorem
Tanto oculi lachrymantis imbre?
Quouſque Numen te juvat anxium
Terrere pectus? Deſine, deſine
Ultricium irarum, & modeſto
Mite ſupercilium tenore
Demitte paullùm, meque benignior
Tuêre vultu, turbine & ultimo
Diſcriminis jam jam imminentis
Solve tuâ miſeratione.
Nam quæ verendo gloria nomini
Tuo paratur, ſi ſubitæ immoler
Morti cadaver, victimamque
Me rapiat ſibi gratam Avernus?
Ubi inter umbras clauſtri Acherontici,
Interque noctes noctibus obſitas
Nulli videris, nulla lingua eſt
Digna tuas memorare laudes.
Nondum meorum lachryma planctuum
Suprema fluxit, ſit licet arida
Jam vena fletûs: incitabo
Irriguos lachrymarum in imbres
Arentis omnem pectoris impetum,
Ut copioſo flumine pronatet;
Dieque vultum, nocte ſtratum
Fletibus aſſiduis rigabo.

Jam me quis horror? quis furor intimas
Sinûs medullas corripit? & piâ
Inter pluentes cordis undas
Nube oculos animumq́ue turbat?
In me ira sævit, me pudor obruit,
Quod inter hostes, quos patior diu,
Jam tot per annos sim reatûs
Ipse mei veteranus hostis.
Valete iniqui. Jam satis impii
Hausi furoris. Cedite, cedite
Profana turba. Subtrahenda est
Esca foco nimis æstuanti.
En lachrymantis mitis inaudiit
Voces Olympus, seq́ue pio in preces
Inclinat auditu. Quid ultrà
Ira, furor, rabiesq́ue possit
Hostilis in me? Dispereant, ruant,
Aut erubescant, & melioribus
Flammis calescant, qui supremum
Interitum mihi quæsierunt.

PSALMUS VII.

Implorat auxilium contra persecutorum calumnias, quas diluit; & spe plenus gaudet æquitate Dei.

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac, &c.

CAlumniarum dum mare concitat
In me procellas, dum Boreæ & Noti
Latus

Latus flagellant, & timenti
Naufragium minitantur alno,
Spe plenus à te, Numen amabile,
Opem requiro: tu preme fluctuum
Insanientium tumorem,
Et facilem mihi pande portum.
Qualis sub antris Armeniis leo
Famem severis dentibus asperans,
Si fortè prædam conspicatur,
Impavidam famis urget iram,
Et innocentes insilit in greges,
Ac dente sævo carpit,& unguibus:
Talis scelestorum ferocit
Ira meis inimica rebus,
Et me furoris postulat in dapem:
Nec est, salutem dextera quæ ferat;
Aut rugientûm exasperatis
Dentibns eripiat leonum.
Si contumaci pectore restiti
Legi Tonantis; si mihi iniquitas
Pejorum adhæsit; si meorum
Interitum volui æmulorum;
Votorum inanis spes mea concidat,
Subdarque sævo victima acinaci;
Fossisque costis tam nocentis
Perfidiæ cruor hauriatur:
Turbo fugacem me premat hostium,
Instetque tergo, vel trepidam celer
Fugam antevertat, vel paratâ
Cœde latus mihi utrumque cingat.
Me

Me comprehendat, me liget æneis
Arctè catenis, me ſubigat pede;
Et quidquid illuſtre emicabat,
Pulveream fluat in favillam.
At ſi innocentes continui manus,
Purusq́ue candor pectoris integri
Calumniarum vim repreſſit,
Cur jaculum manus in triſulcum
Non tendit iram? Surge, tui ac mei
Vindex honoris; finibus hoſtium
Immitte vexillum triumphans,
Et ſtatue in foribus trophæa.
Tu lege ſancis non violabili,
Virum innocentem nullus ut opprimat:
Quin ergo ſurgis non nocenti
Præſidium capiti daturus?
Surge, & tenaci propoſitum tuum
Exemplo adurge: te populus frequens
Ultrò ſequetur. Facta Regum
Imperiis grave pondus addunt.
Fac, ut Tonantis quisque potentiam,
Sceptrumq́ue adoret: fama tuum ferat
Sub aſtra nomen, Judicemq́ue
Te trepidus veneretur orbis,
Diſcatq́ue, quando juſtitiæ tuæ
Stabo ad tribunal, te mihi Judicem
Ex inſtitutis æquitatis
Eſſe ſimul, ſimul & patronum.
Si porrò iniquus porrigat impiam
In arma dextram, defluat irrito

Vis omnis ictu ; nec timoris
Acre gelu penetrabit ossa.
Nam tu, profundi qui abdita pectoris
Falli impotenti lumine perspicis,
Tu ductor, & custos proborum es,
Nec pateris pede deviante
Iniquitatis, vel scelerum impium
Calcare callem. Discite posteri
In me notata exempla ; quàm sit
Certa salus maculâ solutis,
Et corde rectis, quàm facili pluit
E nube Judex, cûi pia viscera
Sunt lenta in iras, plena quamvis
Dextra rogo caleat trisulco.
Quid ? an putabis , si semel ardeat
Justas in iras, non placidum amplius
Vultum explicabit ? nec minarum
Ulla dies saturum videbit ?
O stulta, & atris pectora nubibus
Obducta ! tandem discite, discite :
Qui parcus iræ in non nocentes,
Ille manu celeri rotabit
Telum in nocentes. Hinc ego turbinis
Vates futuri conscius ominor :
Si caute pectus inductis
Æmoniâ, veteremque callem
Non deseretis, corripiet manu
Fatale ferrum, cornua contrahet
Arcûs, & impellente nervo
Funereas jaciet sagittas.

Vestram in ruinam vos faciet suæ
Iræ ministros. Invida pectora
Sibi architectantur dolores,
Ipsa sibi fabricant ruinam.
Mens fraude prægnans parturit invidis
Tormenta: Justis quem fodiunt, lacu
Sorbentur ipsi. Structa demum
Techna suum petit architectum.
Quandoque nubes sacrilega invidis
Cœlum sagittis impetit; at suum
Retortæ in auctorem sagittæ
Mole ruunt violentiore.
Hanc ergo legem Justitiæ tuæ
Semper verebor; lætus huic dabo
De corde plausus, & perennes
Mente humili celebrabo laudes.
Resume plectrum dextera: Delphicæ
Lauri coronent tempora; carmina
Nascantur ultrò, & sponte sacra
In cytharam veniat Poesis.

PSALMUS VIII.

In dispositione universi admiratur Creatoris magnificentiam, ejusque in genus humanum beneficentiam.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen, &c.

QUacunque Phœbus provehit aureâ
Diem quadrigâ, cernit in omnibus

Tuæ

Tuæ verenda exempla dextræ, &
Attonito ſtupet igne grande
Molimen artis. Magnificentiam
Tuam loquuntur ſidera flammulis,
(Sint muta quamvis) geſtiuntque
In ſolium tibi convolare.
Tuas loquelæ ignara puertia
Laudes, & altæ encomia gloriæ
Lactente vagitu, & fluente
Ex oculis lachrymâ celebrat.
Hinc erubeſcat, ſi ſileat tuam
Superbus hoſtis Magnificentiam.
Ab his peremptum ſubticentis
Invidiæ cadet omne robur.
Ego at reflexo in ſidera lumine
Tuæ obſtupeſcam lucida dexteræ
Portenta, lunam, ſtelleumque
Agmen, opus manuum tuarum,
Admiror iſta, & pendulus hæreo,
Dicamnè vilem nunc hominem, cui
Hæc præparaſti? An promereri
Tanta tui documenta amoris?
Sed nempe magnum tu facis: Angelis
Propinquiorem tu ſtatuis; caput
Tu laureâ cingis coronâ,
Et Dominum pelago imperare,
Terræq; mandas, atq; operi tuæ
Præeſſe dextræ. Quidquid humo viret
Frugumq; fructuumq;, tellus
Ante pedes locuplete cornu

Fœ-

Fœcunda ſternit : virgam ovium greges
Ejus verentur, collaq́; ſub jugum
Armenta mittunt, veſtibuſq́;
Materiem pecudes miniſtrant.
Quodcunq́; in auris navigat alitum,
Quodcunq́; pinnis in pelago natat,
Mortalium pronâ veretur
Imperium veneratione.
O quàm ſtupenda eſt gloria nominis
Tui, verendum Numen! ad ultimos
Diffuſa terrarum receſſus,
Atq́; poli pelagiq́; fines.

PSALMUS IX.

Gaudet victoriâ, quam ope divinâ de Goliatho retulit: in ſtrage hoſtium miratur ſuperborum vanitatem, & divina judicia; & adventum Redemptoris ſuſpirat.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia, &c.

QUidcunq́; fervet pectore ſpiritûs,
Totum Tonantis conſecro gloriæ:
Huic lingua, vox, cor, & medullæ
Obſequium dare laudis optant.
Exultet in te, qui mihi in intimo
Sinu eſt repoſtus ſanguis, & impias
Poſt hoſtium vires repreſſas
Læta paret tibi lingua carmen.

Jam

Jam verſa retro terga fugæ dedit
Hoſtilis ardor, languida jam jacet
    Moles furoris, diffluitq;
        Ante tuos oculos procella.
Ego inter hoſtes, & dubios metus,
Mavortis inter mille pericula,
    Te Judicem elegi, tuamq;
        Juſtitiam mea cauſa ſenſit.
Nam tu tribunal vindicium ignium
Mox occupâſti, deq; reconditis
    Armis reorum in ultionem
        Arripuit tua dextra fulmen,
Quod nube ruptâ deſiliit ſuper
Collum nocentum. Tunc manibus chalybs
    Diffluxit omnis; tunc ruerunt,
        Quêis timidi latuêre, turres.
Illo tonitru percita concidit
Fama impiorum; nec memorabitur
    Infame nomen; ſed perenne
        Fama DEI ſolium tenebit,
Quod ſupra Olympi ſidera, & igneas
Supra quadrigas Solis, in aurea
    Nube eſt locatum, quò ſeverum
        Juſta Themis vocat ad tribunal
Mortalium res, ſive perennibus
Dignas coronis ſidera poſtulent,
    Seu flammâ Averni puniendas
        Supplicium vocet æviternum.
Poſthac tyranni pauperies jugum
Non extimeſcet. Sæviat impotens
For-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Fortuna; nunquam destitutum
Auxiliis inopem occupabit.
Ardente qui te pectore diligunt,
Tuaq; gaudent currere semitâ,
Etsi flagellentur sinistræ
Imperio graviore sortis,
Non deserentur. Fidite quêis DEI
Nota est potestas: nulla necessitas
In arcta coget, quêis tuarum est,
Magne DEUS, pia cura legum.
Vos innocentes, vos, quibus ætheris
Gustus medullas pectoris occupat,
Fervete plausu, Numinisq;
Et studium celebrate, & artes,
Usq; ad diremptas Oceano plagas
Narrate mundo. Scilicet huic amor
Constans suorum est, sanguinisq;
Sollicitum studium innocentis.
Hæc cura porrò sit tibi, siderum
Monarcha, de me; qui pedibus teror
Tot æmulorum, rideorq;
Ludibrium populi exprobrantis.
Ut te Sionis vertice in edito
Laudare fas sit, tu mihi vincula
Mortis resolvis, vindicasq;
(Grandis amor!) Libitinæ ab ungue.
Sereniore hinc pectora gaudio
Perfusa adorant, quam tua dextera
Præstat, salutem: quin fuisse
Fraude suâ malè feriatas

Gen-

Gentes; & illo, quem mihi ſtruxerant,
Dolo implicatas cerno, nec amplius
Tenace viſco compeditos
Poſſe Pedes iterum explicare.
Unde æquitatis ſe ſolio tuæ
Subſternit Orbis! diſcit & impium,
Quem præparavit non nocenti
Interitum, ſibi fabricâſſe.
Nam qui in receſſus Pectoris intimos
Semel recepit Sacrilegam Dei
Oblivionem, unà recepit
Tartareæ genus omne pœnæ.
Non ſic egentes deſeris in tua
Mandata pronos, nec tolerantiam
Deludis in finem tuorum,
Quos rabies inimica mordet.
Exurge Numen, protere ſpiritus
Superbientûm, nec ſine, ut improbi
Seſe arroganter, ſublevare in
Aſtra manus potuiſſe, jactent.
Emitte cœlo, qui premat impios
Legum lupatis; ut ſapiant Phryges,
Seroq; diſcant: eſſe ſtultum,
Velle DEUM exagitare bello.



PSAL-

PSALMUS Idem:
ſecundùm Hebræos X.

Querimonia contra ſuperbiam & iniquitatem tyrannorum: & imploratio vindictæ.

Ut quid Domine receſſiſti longè! deſpicis in opportunitatibus, &c.

HEu me! quid egi? cur tuus à meo
Favor receſſit vertice? deſpicis
Ad te recurrentem? nec adfers
Pronus opem, auxiliumq; preſſo?
Intemperatâ hinc flamma tyrannica
Deſævit irâ, & quidlibet impotens
Præſumptio audet, pauperemq;
Igne furor maleſanus urit.
Vides? & alto fulmina dormiunt
Oppreſſa ſomno? ſurge potentior,
Retunde iniquos, propriiſq;
Fraudibus illaquea nocentes.
Quis ordo rerum? plauſus in impios
Conſpirat omnis: laudis iniquitas
Mercede donatur, reiſq;
Vox populi fremituſq; ſervit.
Cui cor rapinis, ſanguine, cœdibus,
Doliſq; fervet, ſurrigit inſolens
Audaciam in cœlum, nec illi
Cura DEI movet ulla pectus.
Huic nullus, orbem qui regat, eſt DEUS,
Quem mente ſpectet, vel timeat: vias

Hinc

Hinc per paluſtres raptus, omne
 Tot ſcelerum bibit ore cœnum.
Audit, ſupremum vivere Judicem,
Et ultionem inſtare pediſſequam
 Culpæ, & jocatur, ac cruenta
 Fata ſuo meditatur hoſti.
Haud, inquit, haud eſt, quem cojitis, Deus:
Ancilla votum ſerviet ad meum
 Fortuna ſemper, poſteriſque
 Illa meis famula obſequentem
Rotam movebit. Vana ſuperbia eſt,
Tumorque inanis, qui labiis gerit
 Et corde fraudes, & labores,
 Queîsq; humilem cruciet, dolores.
Subſeſſor umbras, tuta cubilia,
Ad inſtruendas inſidias tenet,
 Telumq; & arcum, ferrum, & arma in
 Interitum parat innocentûm.
Acuto inermem lumine pauperem
Obſervat, alto ut vulnere ſanguinem
 Exhauriat, vitamque dextra
 Eripiat violenta ferrô.
Qualis cavernis Armeniis leo,
Si ſpectet agnum, protinus exſilit,
 Ruitque, correptamque prædam
 Dilaniat truculentus ungue.
Aut qualis auceps fiſtulâ amabili
Fingit volucrem, & chromata gutturis
 Aptè æmulatur, pellicitque,
 Ut propior volet ad perîclum:

Tum monſtrat eſcam; ſed viridi tegit
Sub fronde caſſes : advolat innocens
Eſcæ volucris, moxque mortis
Victima retibus implicatur.
Talis doloſi eſt machina pectoris,
Silente quâ ſe conſilio fovet,
Non eſſe Numen, quod videre
Corda queat ſcelere impiata.
Si porrò vincas, eſſe aliquem Deum;
Obliviosum fingit, & arduo
Mundi implicatum labori,
Vel liquidæ medium innatare
Cœli voluptæ, nec ſibi ſumere
Humana curæ. Surge, ſonantibus
Dextram ſagittis Numen arma,
Et ſcelerum ſtatue ultionem.
Sed unde tanto abducitur impius
Errore mentis? Scilicet improbè
Vel eſſe Numen, vel videre
Noſtra, negat, facilivè dextrâ
Piare culpas. Aſt acies tibi eſt
Acuta, Numen: tu numeras dolos,
Quêis innocentes opprimuntur;
Tu ſtatuis meritas nocenti
Pœnas furori: tu tibi pauperis
Cauſam reſervas: Orphanus in tuo
Sinu quieſcit: tu ſuperbam
Deprime ſtultitiam potentis
Virtute dextræ: cum Duce criminis
Exſcinde crimen; nec tumulo ſuper

Vel vivat auctor, vel ſuperſtes
Fama loquatur opus tyranni.
Sic temperabit de ſolio Deus
Subjecta mundi regna, & iniquitas
Dejecta ſede, cum cohorte
Fracta caput ſub Averna condet.
At non benignam pauperibus Deus
Aurem negabit, pronus in omnia
Venire vota, & ſupplicantes
Auxilio facilis levare.
Favore demum quando humilem putri
Terrâ levabit, diſcet iniquitas,
Stultum eſſe, bellaci furore
Fulmineum violare cœlum.

PSALMUS X.

Divino confiſus auxilio contemnit iniquitatis & invidiæ minas; & celebratâ Dei juſtitiâ prædicit impiis ſupplicia.

In Domino confido: quomodo dicitis anima mea, &c.

SPes fixa cœlo eſt. Nil mihi concutit
Timore pectus. Sed quis in auribus
Sonat ſuſurrus? qualis, inquit,
Paſſer abi, fuge in alta montis.
Non vanè aberro: perfidia invidum
Tetendit arcum; diſpoſuit ſuas
Polus ſagittas, & pharetram
Mortiferâ rabie replevit,

Ut innocentem, pectoris integri,
Mentisque puræ, noctis in horrida
Umbra trucidet, toxicoque
Tincta rotet jacula in modestum
Et recticordem. Cerno (quid ambigo?)
Cerno superbo calce premi tua
Mandata, Numen, & tyranno
Innocuos lacerari ab ungue.
Quæ culpa Justi est? quo scelere abditam
Mentem impiavit? quod facinus procax
Lingua elocuta est? cujus audax
Dextra pium sitiit cruorem?
Hæc imputari si valeant, nequit
Scelus probari. Qui super æthere
Sedem locavit, cernit alto
Clausa sinu, ciliique nictu
Se nôsse prodit. Justus & impius
Hoc ad tribunal sistitur. Alterum
Cœli ad coronas, alterumque
Sulphureos jubet ire ad ignes.
Periculosâ currit in orbitâ,
Quem vasta moles tot scelerum premit:
Gratæque dum servit voluptæ,
Ipse sibi sua damna acervat.
Nam per catenam ducta cadent polo
Tormenta, pœnæ, diluvia ignium,
Sulphur, procellæ, turbinesque, &
Assiduus pavor ultionis.
Quin ergo gressum reprimis incita
Libido eundi, quà trahit impetus

Cupiditatum, non modeſtâ
Imperium ratione ducit ?
Quem tu laceſſis, juſtus & æquus eſt,
Sanctamq́ue de te juſtitiam exigit ;
Et cenſor actorum ſeverus
Noſtra oculo vigilante ſpectat.

PSALMUS XI.

Invehitur in corruptelam ſæculi, & maledicas linguas. Sperat earum jacula evadere.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, &c.

SUccurre cœlum! porrige dexteram
Sæpe invocatam. Qui pius ambiit
Aut eſſe in orbe, aut nominari,
Oſſa ſuâ ſepelivit urnâ.
Nemo eſt ſuperſtes. Candida veritas,
Fidesq́ue ſimplex, integritas, pudor,
Sincera libertas agendi eſt
Mortua, vel moribunda ſpirat.
Linguæ veneno Theſſalico tument,
Coquuntq́ue fraudes, & gravidæ horridâ
Mendaciorum nube, labra
Melle linunt, animumq́ue felle
Plenum recondunt. Diſpereant doli
Oris bilinguis, labraq́ue perfidas
Mentita technas, quæq́ue vano
Eloquio ſibi blandiuntur.

Et vasta jactant: lingua potens mihi est,
Ajunt, ut alto culmine gloriæ,
Rotisque Honoris confidentem
Præcipitem dare ad ima possim.
Nam quis vetabit? quis valeat meis
Resistere ausis? Nullius improbum
Mordebo frænum, nulliusque
Imperio mea colla subdam.
Sed porrò jactet. Vana superbia est,
Cûi lapsus instat. Quin brevis impio
Felicitatis est meatus;
Quemque dies veniens superbum
Vidit, jacentem despicit Hesperus.
Lamenta Numen pauperis audiet,
Dicetque: Surgam, dormientis
Tela manûs properè excitabo;
Et innocentem numine sub meo
Tuebor. Ibit per mare fluctibus
Exasperatum, & per ruentes
Insidias sibi destinatum
Portum tenebit. Namque ego patrii
Favoris aurâ lina volantia
Implebo, tranquilloque somno
Oceani rabiem edomabo.
Sic pollicetur, cuî nitidus fluit
Ab ore sermo, puraque veritas,
Examen argenti æmulata,
Cûi precium repetita flamma
Dat, & nitorem. Ne sua fulmina
Solùm minari credite. Tunc ferit,

Cùm non timetur. Fulgurantem
Mox ſequitur grave fulmen ignem.
Tui favoris præſidium, Deus,
Nobis reſervas: nos tua protegit
Manus, procelloſumque motæ
Inv[illegible] reprimit furorem.
Hinc ægra quamvis ſit ratis, & minor
Pulſante fluctu, ſtabit ad obviam
Iræ procellam; poſtque dura
Bella ſuam referet coronam.
Non hæc quietis ſpes alat impios,
Quos inquietis ambitio rotat
Semper procellis: ſe eminere
Quando putant, cecidiſſe plorant.
Quisquis per aſtûs progreditur vias,
Et fraude in altum ſe ſolium ingerit,
Infamiam refert de honore,
Deque levi ſua damna lucro.

PSALMUS XII

Pia querela de dilato auxilio divino, quod contra inſolentiam inimicorum implorat.

Uſquequò Domine oblivifceris me in finem, &c.

ERgo perenni (ſic trepido mea
Mihi loquuntur crimina) tu Deus
Oblivioni me dediſti,
Nec memorem libet eſſe noſtri?

Ad-

Adhuc ſeveri nube ſupercilì
Amanda claudis lumina ? nec ſinis
Patere Frontem ? candidumque in
Luce vetas jubar intueri ?
Quamdiû mearum ſollicitudinum
Cogam ſenatum cordis in areâ ?
Dieque mæſto, & lachrymante
Nocte meos recoquam dolores ?
Quamdiû ſupra me ſacrilega efferet
Vexilla Avernus ? Reſpice lachrymas,
Quas mœſtus effundo, & mearum ad-
mitte preces placidâ aure vocum.
Tu mî inter atras mortis imagines
Frontis pyropos inſtrue lumine,
Ne quando me caligo mortis
Perpetuis tumulet tenebris :
Nec glorietur, funere qui meo
Suæ lucratur gaudia mentis, &
Voce inſolente dicit : Euge !
Prævalui : jacet, & fluente
Tabo arrogantem pectore ſpiritum
Effundit hoſtis. Nempe meam ſua
In lucra jacturam reponit,
Deque mea ſibi morte vitæ
Adauget annos. At pietas tua,
Et mite pectus ſi mihi præbuit
Promptum levamen, anchorâque
In dubiis pelagi procellis
Firmavit alnum ; gaudia divite
Torrente mœſta in pectora confluent,
Tuo-

Tuoq́ue confiſus favore,
Quo toties miſerum levâſti,
In gratiarum carmina ſpiritum,
Et ora ſolvam, & gloria nominis
Tui, perenni concinenda
Laude, meam cytharam occupabit.

PSALMUS XIII.

Deteſtatur impiorum ſcelera, & ad eorum emendationem, ac proborum auxilium implorat Redemptoris adventum.

Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus, &c.

HEu! quò ſceleſti inſania pectoris
Errore ducta eſt? Sub tacito ſibi
Locuta corde: quis? quis, inquit,
Ille Deus, cui vel timoris,
Vel ſancti amoris pendere debeat
Homo tributum? Præmia Cælitûm,
Pœnas Averni, Æternitatem,
Vana puta ſimulachra vocum
Nil audienti ſignificantium.
Hinc ore frænos excutit impius,
Deoq́ue & orbi abominandum
Se ſtudiis facit ipſe iniquis.
Et quantus horum eſt ordo? per omnia
Aduſq́ue fines Imperia ultimos

Circumfero aſpectum : nec unus
Perfidiæ reperitur inſons.
Quin & ſupremâ de ſpeculâ Deus
Conſideravit, num quis ab ultimo
Ad ultimum terræ receſſum
Lege Dei ſua geſta frænet.
Conſideravit : Vidit & omnium
Moresq́ue, geſtusq́ue, & ſtudia, & modos
Ab æquitatis calle abîſſe,
Et rapido per iniqua curſu
Ferri viarum. Non ego inania,
Vel falſa canto. Fingite eos loqui,
Et ponderate verba : fœtent
Ora cadavereo putore :
Guttur ſepulchrum, linguaq́ue toxicum,
Verbum ſagitta, & Sulphurea halitus
Nubes Averni eſt, aſpidiſq́ue
Labra tegunt vitiata telum.
Quodcunq́ue fœdi filia pectoris
Vox ore profert, vel gravia in Deum
Blaſphemiarum tela jactat,
Vel maculis notat innocentem
Famam proborum, vel vomit integra
Calumniarum plauſtra, vel obruit
Dolis amicum, vel cruenta
Vulnera, fata, neceſq́ue ſpirat.
Hinc incitatis ſe temerarius
Turbæ procellæ greſſibus ingerit,
Miſcere rixas, ſeq́ue in atras
Diſſidiis animare cœdes.

Quan-

Qnantis rotatur fluctibus, heu miser!
Quâcunque spectat, quâ fugit, obviat
Fortuna fronte exasperatâ,
Et calidos remoratur æstus;
Quêis ad putatam sese agit impiger
Felicitatem : ringitur, æstuat,
Speratque, desperatque, & intus
Bella gerit truculenta secum
Ignara pacis: nec timet ætheris
Summum Monarcham : sed tamen undiq;
Haurit timores. Sic meretur,
Qui superûm posuit timorem,
Timere cuncta. An non malè perditi,
Quibus vel escam dat caro pauperum,
Vel sanguis haustum, nubilosa
Ex oculis animisque tandem
Vela amovebunt? Actum agimus: suâ
Nunquam explicabunt cæca volumina
A fronte, qui nunquam Tonantem
Supplicibus coluêre votis;
Quamvis viderent mille periculis
Sese implicari, & corda pavoribus
Percelli; ibique se timere,
Nullus ubi scopulus timori est.
Sed ô tyranni! cernitis, æthera
Adesse justis, & rigidâ manu
Tonare Numen in nocentes,
Et clypeo tegere innocentes:
Et nondum acerbo desinitis probos
Mordere ludo, candida simplicis

Ridere cordis verba, ſpemq́ue,
Quam Domini locat in favore,
Jactare inanem ? O arbiter omnium,
Impunè crebrò læſe, & adhuc tamen
Pie in ſceleſtos ; noſtra ad aures
Vota tuas patere advenire.
O quis volanti tandem Hyperioni
Affigat alas, ut celere advehat
Diem quadrigâ, quò propinquæ
Conſpiciam radium ſalutis,
Jugumq́ue collo demptum Acheronticæ
Captivitatis ! tunc fluet edito
Sione plauſus, Iſraelq́ue
Læta canet tibi metra laudis.

PSALMUS XIV.

Moralis integritatis axiomata, quæ conſtituunt juſtum, ſpemq́ue æternorum faciunt.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.

ARgenteorum patria ſiderum,
Amata Divis Regia ; quis tuum
Calcare greſſu limen, aut quis
Tecta meris habitata ſtellis
Subire dignus ? poſtq́ue pericula
Subacta ſperet montis in editum
Cacumen eniti, & quietis
Perpetuæ gremio foveri ?

Quem nulla labes, aut macula inficit
Iniquitatis; quique tumultibus
Excelſior vulgi jacentis
Nullo animum vitiavit æſtu.
Cûi purioris gratia pectoris
Perſpecta cœlis, integritas, fides,
Omnisque virtutum ſenatus
Obſequiis latus omne cingit.
Cûi ſub fideli pectore veritas
Sinceræ, candorque in labiis ſedet,
Geſtuque in omni, moribusque
Simplicitas adamata Divis:
Nec ſcit, nec audet texere fraudibus
Mendaciorum verba, nec impium
Molimen ore, aut cogitatu
In niveos animi receſſus
Admiſit unquam: qui mala neſciit
Inferre Civi: qui neque ſanguine
Manum inquinavit, nec furoris
Ulli animum reſeravit igni.
Si quando forſan lingua procacior
Opprobriorum grandine ſæviit,
Avertit obtutum, & nocentûm
Innocuâ bibit aure murmur.
Qui nec recurvum flectere poplitem
Doctus malignis, nec facilis rea
Probare geſta, defluentes
In nihilum redigit ſuperbos:
Magisque gaudet ſidereas ſuper
Levare flammas, quos melior fides,

Timorque commendat, ſinum cûi
Integritas, pietasque honeſtant.
Qui, quæ ſpopondit, non violabili
Firmata pacto, ſervat, & integrâ
Fide reponit, nec per aſtum
Sancta ſtudet violare pacta.
Qui fœnerari neſcius auream
Solvit fluentes in pluvias manum;
Nec, unde ſuccurrit benignus
Pauperibus, ſua lucra quærit.
Cûi ſplendor auri limpida ſordidis
Non occupavit lumina nubibus;
Nec ſpe, nec oblatis gravavit
Muneribus Themidis bilancem.
Hæc qui profundo pectore condidit,
Factisque conſtans exprimit, orbitâ
Salutis incedit, ſuusque
Sorte vices variante ſtabit.

PSALMUS XV.

In perſona Chriſti rememorat ſuam charitatem, & gaudet ſibi paratâ remuneratione.

Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te, &c.

INſultat hoſtis, meque furoribus
Suis amatam deſtinat hoſtiam:
Adeſto Numen, me tuere,
Deque manu rape perfidorum.

Nam

Namq́ue unde ſperem? tu Deus es meus,
Quamvis caduci corporis induar
Vili lacernâ, teq́ue votis
Supplicibus venerer Tonantem,
Me non repelles. Non ego copiam
Fero bonorum, non meritis gravem
Oſtento dextram: te creati
Nulla boni recreat voluptas.
Arcana nôſti, quæ mihi pectore
Clauduntur imo: quo ferar in tuos
Amore juſtos, quos Sionis
In populum tibi ſegregâſti:
Quæ ſit voluntas, quod ſtudium mihi
Tuos fovendi. Quin amor anxius,
Quo ſæpè in electos flagrabam,
Attonitum ſtupefecit orbem.
Artus premebat languor, & impotens
Dolor medullas; jamq́ue ferocior
Vis aucta morborum, ad ſecanda
Fila, Erebo Lacheſin vocabat.
Ego fugacem corpore ſpiritum,
Viâ impeditâ, continui, & malo
Tuli medelam; ut, qui jacebat,
Jam celeri pede inambularet.
At qui probroſo in devia & avia
Errore ducti funeribus manus
Contaminârunt, jam profanis
Conſiliis necis abſtinebunt.
Sed hæc perenni ſub tumulo juvat
Oblivionis condere: non ego

Æta-

Ætatis exactæ ſepulta
Facta meâ revocabo linguâ.
Sic & fluentes à genitoribus
Hæreditatis nomine copias
Argenti & auri, quasq́ue adorat
Vulgus opes, memorabo nunquam.
Hæreditatis portio nam meæ
Cœlo repoſta eſt; linea ſanguinis
Deducta cœlo eſt: hîc & hæres
Jura patris mihi vendicabo.
Si quem juvabit ſune Geometram
Poſſeſſionum ſcribere limites;
Dimetiatur evagantes
In ſpatia haud numeranda campos,
Sylvas, & urbes: non ego livido
Spectabo vultu. Nam melior mihi
Hæreditas cœlo eſt repoſta,
Quæ ſpatio precioq́ue tantùm,
Quantùm jacentes exſuperat polus
Terræ paludes. Gratia Numini
Debetur iſta, à cujus igne
Mens radium bonitatis hauſit.
Hinc ſæpè longâ prociduus prece
Diem peregi, nec poplitem priùs
Terrâ levavi, quàm tenebris
Atra diem ſepeliret umbra.
Unde & dolores impete per meos
Fluxêre renes, & genibus gravis
Infixa ſpina eſt, quæ ſapore
Nocte meos oculos vetabat.

Inter

Inter dolores hos mea lumina
Ad aſtra tollebam, & lateri Deum
Præſentem adorabam : hic paternam
Semper opem tulit invocanti.
Hinc ſpe futuræ poſt mea funera
Hæreditatis fretus, amabile
Suſpiro cœlum, & totus amplo
Oceano nato gaudiorum.
Et lingua laudes exilit in tuas,
Mei voluptas unica pectoris,
Deus. Caducum funeratus
Cùm ſpolium tumulo jacebo,
Adhuc ſuperſtes me mea ſpes alet
Vitam reſumendi. Emoriar licet,
Tu me ſepulchro ſuſcitabis,
Nec putridam patieris eſcam
Dari chelydris. Jam mihi tramitem
Vitæ dediſti nôſſe : quod ultimum eſt,
Metam obtinebo, & tu perennis
Lætitiæ mihi amœnitates
In fronte pandes. ſæcula ſæculum
Prius ſequentur mille, quibus mihi
Ad dexteram tuam licebit
Cœlituum bibere ore nectar.



PSAL-

PSALMUS XVI.

Conteſtatur animi ſui rectitudinem, ejuſque conſervandæ ſtudium. Implorat auxilium contra ſuos adverſarios: & per imprecationem prædicit eorum ſupplicia.

Exaudi Domine juſtitiam meam, intende, &c.

QUæ vox ad aures Numinis inſonat,
Eſt innocentis filia pectoris;
Morumque teſtis candidorum,
Qui calido cadit imbre mœſta
In ora fletus: tu riguas Deus
Vultu benigno reſpice lachrymas;
Et explicatâ admitte fronte
Ad patrium mea vota pectus.
Tu, qui ſereno in lumine mentium
Secreta ſpectas, tu propiùs vides,
Quàm corde puro, candidoque
Proveniant mea vota fonte.
Aſſume munus Judicis; at ſimul
Ne pone patrem: temperet ultimam
Sententiam rigorque amorque,
Quando meæ documenta cernis
Tot æquitatis. Tu ima cubilia
Cordis probâſti: tu mihi noctium
Umbris dolores addidiſti, &
Vota ſinu bene clauſa flammis

Exa-

Examinâſti,qualiter aurea
Examinatur maſſa : nec improbum
Quidquam repertum eſt, quod patrati
Me ſceleris faciat nocentem,
Ne lingua, frenô libera, ſæculi
Laudaret artes, lege ſilentii
Os obligavi, & ad ſeveram
Omnem apicem trutinam vocavi.
Atq́ue, ut tuarum verba recondita
Promiſſionum ſanctiùs inſequi
Liceret, elegi labore
Difficilem ſuperare montem,
Quo pulchra virtus hoſpita conſidet.
Periculoſæ plena ſed aleæ
Res iſta, Numen. Ne vel errem
Calle tuo, vel iniqua fallat
Pedes euntis ſemita, tu mihi
Greſſus magiſter dirige, tu mihi
Dux, & levamen, per viarum
Ambiguos rege me reflexus.
Sic vota ſupplex, & gemitus pios
Depono ad aras. Tu quoq́ue pectoris
Tactus mei clamore, votis
Supplicibus Deus adfuiſti.
Et nunc, ut olim, ſe pietas tua
Exaggerato flumine gratiæ
Effundat in me, qui invocantûm
Semper amas precibus faventem
Præbere vultum. Sunt, quibus impiam
Manum armat æſtus, quiq́ue potentiæ
Tuæ

Tuæ resistunt, ut furoris
Tela meo satient cruore:
At qualis alto in pulvere debilis
Pupilla curæ est; talis ab improbis
Tu me tuere, ac innocentem
Tuta tuæ tegat umbra dextræ.
Vides, ut instant? & velut agmine
Facto, cruentis me undiq́ue & undiq́ue
Vallis coronant, exulemq́ue
Corde jubent pietatem abire?
Adduntq́ue promptæ in funera dexteræ
Linguæ venenum; cumq́ue periculis
Deprælianteṁ me superbi
Ludibrio graviore rident.
Tentata frustrà sæpiùs est fuga,
Laborq́ue lusus: vel jaculis petunt
Certis fugacem, vel coronâ
Invidiæ latus omne cingunt.
Si fortè callis quis patuit fugæ,
Vestigiorum signa oculis notant
Impressa terræ, vt persequantur,
Et lanient mea membra dente.
Qualis per agros Armeniæ leo
Prædam voraci sollicitus fami
Vestigat, aut qualis paternæ
Se catulus feritatis hæres
Condit sub umbras, unde vagantibus
Instare prædis discat,& invidum
Dentem tenelli adhuc furoris
In juvenes animare prædas.

Sed

Sed ſurge Numen, telaq́ue præveni
Crudelitatis : quas mihi machinas
Struunt, in auctore retunde, ut
Retrogrado percant ſurore :
Meq́ue imminenti ut funere vindices,
Ferrum tyrannis excute dexteris,
Nec ſuſtine, ut crudelitate
Sanguineâ premar impotentûm.
Ab innocentûm cœtibus impias
Turbas nocentûm divide, quêis ſui
Eſt cura ventris, quos refoſſas
Divitias juvat er[illegible]iſſe
Telluris imo : ſit numeroſior
Proles eorum, quæq́ue penatibus
Par una multis ; gaudeantq́ue
Multiplici fluvio in nepotes
Hæreditatem currere : me juvat
Servare labis non nocuas manus,
Purumq́ue pectus. Cùm patebit
Pulchra tuæ, ſine nube, frontis
Spectanda menti gratia, tum mihi
Pura natabunt pectora gaudio,
Sinumq́ue replebit voluptas
Illecebris cumulata Divûm.



PSAL-

PSALMUS XVII.

Canit Epinicion triumphale Divinæ Omnipotentiæ, cujus ope liberatus est: lætatur innocentiâ suâ, & in laudes Divinas effunditur.

Diligam te Domine, fortitudo mea, &c.

TE demum amabo, vis mea, lux mea,
Robusta turris præsidii, anchora
Meæ salutis; naufraganti
Tuta quies, placidusque portus.
Amabo, amabo te, clypeus meus,
Et murus hosti non penetrabilis,
Paventi asylum, in rebus arctis
Dulce animi trepidi levamen.
Vix præco laudes incipio in tuas
Laxare linguam, jam mihi candidis
Defertur alis Pax, & hostes
Exanimes cecidisse plaudit.
Jam me dolorum cinxerat agmine
Mors atra, jam me sulphureis aquis
Afflabat Orcus, jam impeditum
Me laqueis Erebus tenebat.
Deprensus alto ut navita in æquore,
Cùm fervet æstus, cùm Boreas Notis
Depræliatur, invocavi
Rebus in ambiguis benignum
In vota Numen: Lumine supplicem
Vidit paterno, nec lachrymis suas

Negavit aures; protinusque
Terra suâ resoluta sede
Intra cavernas infremuit, vago
Commota vento; culmina montium
Nutare visa in partem utramque,
Et trepidas agitare sylvas.
Namque atra fronti inducere nubila
Visum Tonanti est: fumea naribus
Ibat procella, & ignis ora,
Flamma oculos animabat irâ.
Ut imperantem sideri & æquori,
Terræque Regem deferat editô
In terram Olympô, totus altâ
Sede polus facili meatu
Defluxit ad nos: retrò pedissequa
Umbra insecuta est: at solium Deo
Dedêre Cherub, & volanti
Tergora supposuêre venti.
Tum densa circum in nubila fumeum
Volumen egit, seque recondidit
Atrô tenebrarum involucrô,
Et niveum jubar imbre texit.
Sed evibrati fulgura luminis,
Splendorque vultûs igneus, horridas
Fregêre nubes; unde nimbi
Et pluviæ cecidêre flammæ.
At cùm soluto fræna silentio
Laxare linguæ cæpit, euntium
Fulgur sagittarum minantis
Signa necis per inane jactat.

Tellus hiatu rupta fluentibus
Recludit amplos fontibus alveos,
Pavensque fundamenta mundi
Eruit, & chaos in vetustum
Confundit orbem. Tanta potentia
Voci est Tonantis, cum merito intonat
Tormenta mundo, ac evibratis
Fulminibus sua sensa prodit.
Ille à supremo cardine dexteram
Porrexit, & me fluctibus obrutum,
Fatisque luctantem, voraci
Eripuit pelagi procellâ:
Confudit hostes, atque potentium
Elusit artes, queîs odio fui,
Qui ferro & igne, clàm, palamque
Fraude meum petiêre collum.
In rebus arctis ille pericula
Mei removit sanguinis, & vias
Inire jussit ampliores,
Omni animi vacuas timore.
Hæc est supremi gratia Numinis
Me diligentis: nec deseret
Me spes in ætatem futuram,
Dum qua animum vegetabit aura.
Hic nempe mentem in pectore candido
Puram videbit, quasque habeo manus
Intaminatas, præmiumque
Ille animo dabit innocenti.
Nam me nec error flexit ad improbos
Calles viarum, nec scelere impio

A lege

A lege cœli deviantem
Ulla dies, oculusvè Lunæ
Conſpexit unquam. Sic mihi ſcilicet
Verenda Olympi juſſa per arduæ
Callem æquitatis ambulanti
Innocuos ſine làbe ſemper
Rexêre greſſus, ut facili jugum
Labore ferrem, per licet aſperas
Vias, nec ullo, ponderoſum
Eſſe humeris, gemitu faterer.
Hàc ſemper ibo, dum mihi Spiritus
Fovebit artus; mentis & integræ
Servabo candorem, nec ullâ
Labe nives animi inquinabo.
Et Numen æquâ retribuet mihi
Mercede vitam, & præmia pondere
Virtutis appendet, paríque
Et meritum, & ſua dona lance
Examinabit. Nempe tibi, Deus,
Eſt tanta noſtri, quanta ſolet tui
Cura eſſe nobis: innocenti es
Innocuus, probo amico amicus,
Juſtusque juſtis, & gravibus gravis,
Atque hoſtis hoſti: tu obſidionibus
Periculorum convolutas
Res humilis populi tueris.
Tu faſtuoſi grande ſupercilì
Jubar potenti deprimis impetu;
Tu me natantis vulgi ab ima
Nube levas, ſtatuisque clarâ

In luce ſervum, nec pateris levi
Nigrari ab umbra : te Duce aheneas
Rumpam phalanges, te magiſtro
Indomitos ſuperabo muros.
Ut ſanctus ipſe eſt, ſic amat & ſuos
Sancto viarum currere tramite :
Quæ ſpondet, & quæ mandat, auro
Invidiam faciunt per ignem
Examinato : confugientibus
Ad ſeſe, aſylum eſt ; & clypeo tegit
Cum ſpe recurrentes ; vetatque,
Si trepidum moveatur orbis,
Pavore tangi. Dicite, ſaxeos
Auroque fuſos qui colitis Deos,
Alternè cœlo eſt, univerſum
Qui dominus moderetur orbem ?
Ille inter hoſtes inviolabili
Me Marte cinxit : me docuit pari
Tenore ſemper innocentûm
Ire viam maculâ carentem.
Ineruditos ille fugæ pedes
Veloce cervorum induit impete,
Proculque ſubductum perìclis
Me ſtatuit ſuper alta montis.
Ille in ſevero turbine, & hoſtium
Circùm procellâ me docuit manu
Tractare ferrum, brachiumque
Ille mihi ſolidavit ære.
Te rurſum adoro : tu mihi pectoris
Scutum fuiſti non violabile

Vel vi, vel armis: te magiſtro
Ire vias didici æquitatis:
Plenumq́ue & amplum tu trepido mihi
Callem dediſti; perq́ue pericula,
Per hoſtium eluſos furores
Intrepido pede inambulare.
Bene auſpicatum Numine ſub tuo
Jnibo bellum: perſequar hoſtium
Agmen meorum: comprehendam:
Nec gladium priùs amovebo,
Quàm ſtrata virtus ante pedes meos
Deponat arma, & robore perdito
Deſpumet iras, nec priores
Pòſt valeat reparare flammas.
Ineruditam tu mihi dexteram
Armis gerendis inſtruis, & fibras
Accendis igne Martiali,
Subq́ue meas inimica cogis
Vexilla plantas. Hìc gemitus, dolor,
Clamorq́ue ſerus; nec ſequitur ſalus
Prece invocata, nec benignâ
Tarda Deus bibit aure vota.
Hoc concitatus pulveream velut
Nubem rotabo, quam Boreas Noto
Pugnante verſat: ceu lutoſam,
Et pluvio Jove diffluentem
Calcabo terram. Ne petulantiâ
Vulgi inſolentis ridear, aureâ
Tu me locabis imperantûm
Sede, ſupra populi jacentis

Undas minores : imperiis tuis
Parebit ultrò, qui latet ultimo
Mundi receſſu, & qui remotis
Littoribus ſua caſtra fixit.
Ad me redibit, qui malè perfidus
A me receſſit : quiq́ue meos lupos
Nunquam momordit, Regiæq́ue
Attonitus novitate famæ
Auguſta dextræ ſceptra verebitur.
Ut ergo laudum ſumma tibi, Deus,
Qui deſtitutum me propinquæ
Funereo rapis ungue mortis. :
Qui vindicantis fulmine dexteræ
Proſternis hoſtes, juraq́ue ſub mea
Gentes remotas præpotente
Lege trahis, populoſq́ue cogis
Mordere frœnos. Hinc tibi gloriam
Non terminando carmine concinam :
Tuiq́ue longinquas in oras
Remigio famulantis auræ
Ibunt honores. Tu quoq́ue perfidas
Turmas viciſſim comprime, & obviam
Averte telorum procellam,
Meq́ue tui tege ſcuto amoris.
Et quod ſupremum eſt ; fac decimos mea
Uſq́ue in nepotes linea defluat,
Cûi Regiæ jubar coronæ,
Imperium, ſoliumq́ue firmes.

PSAL-

PSALMUS XVIII.

Sapientia Dei relucet tam in mundo condito, quam in legum constitutione; quarum observandarum Zelo tenetur Propheta.

Cœli enarrant gloriam Dei, &c.

ATtolle cœlo lumina, jam diu
Infixa terræ, gens malè conscia
Erroris, & pulchram tuere
Siderei faciem theatri.
Hæc Architecti se sapientiâ
Stetisse narrat, seque stupentibus
Evulgat astris, machinæque
Artificem loquitur Tonantem.
Dies prioris filius insequens
Audit parentis verba, quibus Deum
Testatur auctorem; suisque
Nox tenebris loquitur sequenti
Nocti stupendæ munera dexteræ;
Quæ solis ignem, argentea sidera,
Lunamque suspendit, solumque
Cinxit aquis, mediisque terram
Firmavit undis. Nec tenui fluunt
Verba hæc susurro, qui nequeat procul
Aures ferire, & dormientûm
Corda suo strepitu excitare.
Nam quà micantes Sol radios jacit,
Seu manè surgat, Vespere seu Tagi

Se mergat undis, in revulsis
Orbe plagis, pelagoque terris
Tam surda nulla est, cujus in auribus
Cœleste carmen non sonet, & suum
Loquatur auctorem, polorum
Atque soli fabricata moles.
Sol ipse lingua est : seu juvenilibus
Aurora comptum crinibus evehat
In alta cœli, seu cadentem
Excipiat liquida urna ponti,
Sui Architecti vim sapientiæ
Toto orbe differt : manè velut novus
Sponsus dextrâ fronte, & auro
Conspicuus, radiantis ignem
Educit oris : tum volat aureis
Vectus quadrigis ætheris arduum
Usque ad cacumen, pendulusque
Axe, diem pari utrinque lance
Dispensat orbi : deinde fugacium
Cùm terga equorum præcipitem in fugam
Urget flagello, par giganti
Grande brevi spacium polorum
Metitur horâ. Cardine ab ultimo
Ad ultimum ausu præcipiti volat,
Reditque rursus orbem
Irradiat redivivus igne;
Secumque semper fronte meridiem,
Quâcumque fertur, circumagit; neque
Solaris expertem caloris
Barbaries habet ulla terram.

Tali

Tali Tonantis dixero lumine
Splendere legem. Nuncia Numinis
Intaminata, & pura, nata
Indomitas cicurare gentes,
Viamque honesti sternere perfidis,
Probosque nutu simplice flectere,
Adest fidelis obsequenti,
Et teneras sapiente luce
Mentes adornat: regula semitæ,
Lex innocentis, pectoris unica
Recti voluptas, perque tectum
Noctis iter radiosa lampas.
Hæc sanctioris spicula cordibus
Figit timoris; quæ semel indita
Hærent profundè, nec per annos
Ex animis, veniens vetustas,
Erodit unquam. Dicite, lubricâ
Quem fraude lusit? sive perennibus
Justos inumbraret coronis,
Sive reos stygis ad pavendas
Damnaret umbras? Omnia legibus
Aguntur æquis, quas sibi veritas
Scripsit tabellis; addiditque
Illecebras, ut amœniores
Sint obsequenti. Hinc grandine gemmeâ,
Aurique nimbo, nec fluido minùs
Torrente mellis gratiores
In penitos animi recessus
Blandè feruntur. Sic propriâ mihi
Docere fas est experientiâ:

Nam tramitem legum tuarum
Lætus ij, facilemque gressum
Lactavit undans copia præmii
Cœlo reposti. Sed quid amabilem
Renarro mercedem ? quis ausit
Hanc meritis sibi polliceri !
Heu ! nulla, nulla est vis sapientiæ
Tam perspicacis, quæ satis intimi
Errata cordis deprehendat,
Quæque suâ gravitate penset.
Sunt, quæ recessu pectoris abdita
Latent, nec ullis indiciis suum
Produnt venenum : sunt putore
Quæ socius male fidus afflat.
Ab his repurga me Deus, & pias
Infunde flammas, quæ tacitum expient
Fibris venenum, nec mearum
Imperium grave ferre cogar
Cupiditatum. Bella domestica
Affectuum si pressero, candidis
Ibo quadrigis, nec latentem
Ulla sinum macula impiabit.
Tunc & mearum vota precum tibi
Erunt voluptas, tunc taciti sinûs
Responsa grata ; tunc favente
Aspicies mea sensa fronte.
Hìc sisto carmen ; meque profundiùs
Benignitatis mergo tuæ mari,
O fons salutis ! ô Redemptor !
Una meis medicina morbis.

PSALMUS XIX.

Victoriæ & incolumitatis vota Regi cum ſuis hoſtibus congreſſuro.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c.

SI quando ferro barbarus hoſticæ
Crudelitatis ſæviat impetus,
Hincq́ue igne terras, regna, & urbes,
Inde homines populetur enſe,
Virtute, damnis cedere neſciâ,
Aſſurge fortis. Prælia cùm feres,
Exaudiat Numen rogantem,
Detq́ue tuis Deus Iſraelis
Munimen armis, Hic tibi copiis
Addat calores auxiliaribus,
Tuumq́ue pectus de Sione
Vindicibus tueatur armis.
Gratâ revolvat mente tot hoſtias,
Tot victimarum munera, quæ ſacras
Tuliſti ad aras, quando cœlo
Mille greges jacuêre donum:
Pronuſq́ue anheli vota calentia
Cordis ſecundet: Conſilium tuum
Eventa firment; quæq́ue poſcis
Cuncta fluant libito petentis.
Tunc nempe bello ſanguineo redux,
Dicêre vindex patriæ, & artifex
Noſtræ ſalutis, & triumpho
In medium populi invehêre.

Omnisque circum te fremitu colet
Undante Civis, votaque ad æthera
Densata fundet: Quod precari
Astra avidus valet appetitus,
In te profuso munere depluant.
Nunc erudimur, munere Numinis
Venire, quod Rex hoste fuso
Incolumis repetivit urbem.
Exaudietur, cùm prece supplici
Cœlum vocabit, seque potentiâ
Armabit æther, & patrono
Incolumem teget inter arma
Favore Regem. Perge curulibus
Latè per orbem nominis inclitum
Jactare splendorem, & volatu
Pegaseo per inane ferri,
Quem picta virtus, quem fatui juvat
Splendoris ignis: nos in atrocia
Bella, & procellas Martiales
Ire juvat meliore scuto
Tectos verendi nominis, & Dei
Vocare Numen rebus in asperis:
Calcata qui per vilioris
Colla gregis super alta nisu
Sese efferebant, sorte retrogradâ,
Lapsu insecundo, præcipites ruent,
Seroque damnabunt superbos
Se temerè subiisse calles.
Horum per agros strata cadavera
Nostros triumphos altiùs evehent;
Et

Et nostra de illorum cupressis
Dextra oleas, viridesque cœdet
Secura palmas. Sic tibi supplices
Attende Numen, perque pericula
Tuere Regem; quando honori
Grata tuo meditatur arma.

PSALMUS XX.

Gratiæ de reportata victoria: augurium perennis gloriæ, & pleni exterminij.

Domine, in virtute tua lætabitur Rex, &c.

JAm Marte fracto victor ab hostibus,
Non indecoro pulvere sordidus
Rex se reducit, & serenam
Restituit patriæ quietem.
Tuæ has fatetur munere dexteræ
Fluxisse palmas, Numen amabile;
Tu robur armis, tu labori
Vim sociam, ac animum addidisti.
Desiderari quod potuit, tulit
Te largiente, & sat fuit unicum
Movere labrum, ut obtineret,
Quod tacitis animi latentis
Votis amabat: quin humiles preces,
Et vota nondum nata, celerrimâ
Præoccupâsti largitate, &
Melle sinus, opibus penates,

Honore ſtirpem, prælia laureis,
Amore Cives, perfidiam metu
Largè imbuiſti, & commodorum
Omne genus facilis dediſti.
Non poſtulanti: Regia dexteræ
Sceptra intuliſti, ſanguine muricis
Latus decorâſti, & coronæ
Mite jubar capiti indidiſti.
Vitam popoſcit: ſcilicet hoc minùs
Tuâ arbitratus munificentiâ,
Vitam dediſti, cui nec ætas,
Nec Lacheſis violenta poſſit
Locare metam. Quantus honoribus
Incedit auctus? gloria laureas
Quàm magna honeſtat? quanta Regis
Fama vehit ſuper aſtra nomen!
Sed nec futuris gloria ſæculis,
Deperdet alas. Tu, Deus, altiùs
Vulgô eminentem collocabis
Sede, ſui populi unde poſſit
Audire plauſus, votaque civium
Spectare ſuavi non ſine gaudio,
Quod fronte de tua reflectis
In populum, populique Regem.
Hic nempe ſacram in te jacit anchoram
Spei; & timoris neſcius, obvias
Martis procellas aſperati
Intrepidæ ſecat arte dextræ.
Euge! in rebelles fortior emica
Miles cohortes. Si qua ſuperſtitis

Eſt

Eſt hoſtis ira, in terga eorum
Fulmineos age Rex furores.
Queîſcunque ſævus livor in oſſibus
Adhuc ferocit, vindice ſentiant
Se quæri ab ira, nec fugaces
Ulla tegat latebris caverna.
Fervente qualis bullit inæſtuans
Fornace flamma, & ſemet in igneas
Convolvit iras, arborumque
Exuvias agit in ſavillam.
Talis recenti fortior impete
Afflabis hoſtes, moxque cadentium
In pectora incumbens jacentûm
In nihilum rediges furorem.
Demolieris tecta minantia
Cælis, & arces, marmora Phidiæ
Labore ſignata, & per arma
Progeniem vitioſiorem
Radice vulsâ ſtirpitùs erues.
Te namque contra damna retrogrado
Pulſu movebant, & malignâ
Fraude nefas animo coquebant,
Et vota alebant irrita pectore.
Te terga ferro diffugientium
Urgente, vel per non honeſta
Vulnera mortis erunt cadaver;
Vel ora vertent, ut caveant tuo
Impulſa nervo ſpicula, & obruti
Nimbo ſagittarum, pudendis
Funeribus properata ad imum

Ibunt avernum victima. Dexteram
Attolle Numen, votaque Regia,
Et vota plebis, civiumque
Prosequere auspiciis secundis.
Tum dulciori carmine barbitus,
Et lingua, & omnis te populus canet:
Negare te semper nocenti
Auxilium, dare non nocenti.

PSALMUS XXI.

Argumentum hujus Psalmi secundum litteram, & allegoriam, est Passio, & Resurrectio Christi, & fidei per totum Universum triumphus.

Deus Deus meus respice in me, &c.

PAter verende (heu! nescio, num meum
Vocare fas sit, quando minus meus
Videris esse) cerne, quanto
Me pelagi rotat unda fluctu:
Et cur repellis? nec mihi supplici
Manum patronam porrigis? argue,
Quod crimen admissum, quod arcet
Me ore tuo, placidoque vultu?
Pulsare nunquam desino sidera
Clamore cordis: dum gemo, tu siles;
Suspiro, non audis: diesque
Noxque mihi lachrymis peracta
Nihil reponit. Gloria tu tamen
Es Israëlis: tu colis atria

Quæ

Quæ ſanctitati dedicâſti,
Anchora tu Patribus fuiſti.
Tibi ſalutis non dubiæ patri
Se crediderunt; tuque periculis
Longè procellarum remotos
In placida ſtatuiſti arena.
Nemo tibi ſe credidit irritâ
Spe: nullus hoſti ludibrio fuit,
Qui rebus afflictis Tonantis
Auxilium pius invocavit:
Vulgô ſed illos altiùs extulit
Formoſa virtus. Non ego me pari
Honore dignabor, petulcæ
Ludibrium opprobriumque turbæ
Qui me videbant ſub miſerabili
Sortis flagello, protinùs impios
Me per cachinnos, perque nictus,
Per labii, capitiſque motus,
Inſanientis plebis in obvium
Jocum trahebant: En precioſus hic
Eſt, inquiebant, quem Tonantis
Lambit amor; cui certa Numen
Dedit ſalutis ſigna: potentiam
Nunc ille cælis exerat, & ſuo,
Quem diligit, ſervo fideli
Præſtet opem, manibuſque noſtris
Vellat rogantem. Sed tibi debeo
Immenſa Numen: tu mihi & obſtetrix
Nato fuiſti: tu tenellum
Officio gerulæ puellum

Por-

Portâsti in ulnis : tu mihi ab ubere
Lac præbuisti : tu fluido mihi
Cum lacte pectus roborâsti,
Spemque tui tribuisti amoris.
Nunc, cùm supremis dura periculis
Me sors fatigat, cùm parat Atropos
Secare stamen, nec cadenti
Auxilium manus ulla præstat,
Ad te recurro. Ne mihi longiùs
Abscede Numen. Cernis, ut undique
Tauri mihi latus coronant,
Et fremitu, & rabie, suprema
In fata poscor ? Qualis inasperat
Leo ore dentes ; & properam unguibus
Infundit iram cùm innocentem
Insequitur furibundus agnum :
Tales timendis faucibus imminent,
Et rugientes vulnera, funera,
Cædemque poscunt : interimque,
Dum Subigor pedibus nocentûm,
In lachrymarum flamina diffluo,
Et exlocatis ossibus omnium
Compago nervorum recedit ;
Et, liquido velut amne cera,
Exusta cordis viscera diffluunt ?
Exaruerunt, in Samij modum
Laboris, omnes fibræ, & ossa,
Visque manûs, animique robur.
Calore adusta, & deficiens siti
Palato adhæret lingua , nec uspiam

Vel

Vel fontis argentum, vel una
Gutta ſiti micat in levamen.
Jam jam propinquæ mortis ad oſtium
Vicinus adſto: dum canibus latus
Ad omne cingor, dum maligni
Concilii vocor ad tribunal
Fraude opprimendus: dum fodiunt manus
Pedesq́ue ferrô; nudaq́ue corporis
Suâque deveſtita carne
Oſſa legunt, numerantq́ue fibras.
Exhauſta poſtquam vis rabidi cadit
In me furoris, non ſaturi meis
Malis, atroce in ſorte præbent
Dulce ſuis oculis levamen:
Gaudentq́ue fuſo ſanguine languidum
Me contueri, & corpore livido
Direpta veſtimenta ſortis
Arbitrio dare dividenda.
Tu ſaltem, iniquis dum premor auſibus
Tot belluarum, ne mihi longiùs
Abſiſte Numen; ſed benigno
Auxilium propera favore.
Tu deſtinatos in mea viſcera
Ferri rigores non penetrabili
Repelle ſcuto; tu latrantûm
Ora canum, & rabidos Leonum
Compeſce rictus, cornuaq́ue efferi
Frange unicornis; nec tacitæ facis
Languente flammâ, ſævo ab hoſte
Diſſimula mea damna poſci.

Tum

Tum morte victâ, grandior aſpici,
Campo reverſus, nomen honoribus
Tuum verebor, cœtibuſque
Facta tuæ memorabo dextræ.
O qui Sabæo thure veremini
Aras potentis Numinis, inclytum
Cantate nomen, gaudioq́ue
Progenies generoſa Jacob,
Teſtare tantæ munera gratiæ,
Quâ vota cœni ſupplicis in pias
Admiſit aures, nec rogantis
A precibus ſua vertit ora.
Hinc copioſis te venerantium
Mixtus catervis, primus in arduo
Templo Euchariſticum intonabo
Carmen, & innumeras ciebo
In vota turmas. Hic ubi dapſiles
Panes Sacerdos immolat, à ſacra
Menſa refectus pauperum grex
Inſolitam modulatus oden
Satur recedet, perq́ue ſonantia
In omne vulgus carmina, gratias
Deo rependet, qui futuræ
Dat populis alimenta vitæ.
Oblivionis nubila frontibus
Deterſa claro Numinis indici
Soli patebunt; unde ritus
Sacrilegos veterum Deorum
Damnabit orbis; thuraq́ue nomini
Tuo ſacrabit: nam tibi competunt

Et jura terræ, & jura cœli,
Et liquidæ dominatus undæ.
Reges ab orbis finibus ultimis
Venêre ad eſcam ; queìsque potentia
Blanditur auro, quos voluptas
Deliciis opulenta nutrit,
Venêre, & eſcis edomitâ fame
Flexêre virgas, & diademata,
Omnemque pompam, purpuramque
Ante tuas poſuêre plantas.
Sic faſtus omnis concidat, & ſuas
Deponat alas : ſic ego limine
Redux ſepulchri ; ſic meorum
Turba ſuum numeroſa Numen
Colet Nepotum : ſidere nuncio
Sic diſcat omnis linea poſterûm
Poſt naſciturorum, ſuavem
Juſtitiæ fideique legem

PSALMUS XXII.

Sub vario ſchemate deſcribuntur effectus Divinæ gratiæ, quos in electis operatur.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.


FElicitatem providus hanc mihi
Indulſit æther, inter oves tuas
Ut cenſear, Paſtor benigne,
Et merear numero tuorum

Dignus

Dignus vocari. Tu mihi pascua
Amœna pandis: tu mihi dirigis
Calles viarum: tu ambigenti
Invigilas oculo paterno,
Ne quam egentem deficiat bonum.
Prope admeantis littora fluminis,
Ubi virente se smaragdo
Comit humus, placidoque campo
Jucunda gustum pabula provocant,
Me collocâsti, & de fluvii vitro
Inebriâsti, deviumque, &
Præcipitem revocare gressum,
Ac Æquitatis ponere in orbita
Blandè imperâsti: quin humeris tuis
Fractum reportâsti: quod ultrà
Vivo, & adhuc stygio superstes
Ago leoni, nominis hoc tui est
Insigne munus. Nec mihi, per vias
Si fortè anhelas ducat error,
Aut Lachesis rapiat per umbras,
Timore pectus sollicitabitur:
Tu namque mecum es: tu mihi semita,
Tu dux, & astrum, tu patronus,
Tu dubiæ clypeus salutis.
Rectrix tuarum virgo ovium, tuum
Pedum, meorum grande levamen est
Mihi laborum, gratiusque
Si feriat manu amante, quàm si
Parcat severo tangere verbere.
Quin & beato nectare divitem,

Cibo

Cibo peregrino gravatam,
Ambrosiæ cyathis fluentem
Mensam parâsti; meque dolentium
Spectantiumque in dedecus hostium
Adesse convivam imperâsti, &
Deliciis epuli accubare.
Tu defluentes unguine balsami
Tingis capillos, unde fragrantia
Discedit, afflaturque rebus
Suavis odor melioris auræ,
Gemmis & auro, quem mihi porrigis,
Scyphus coruscans, quantus amabili
Spumat Lyæo, cûi nec ausint
Ambrosiæ cyathi, nec undans
Certare nectar. Grandior hinc mihi
Spes est futuri. Scilicet exitum
Adusque vitæ, præeuntem
Me pietas tua subsequetur:
Donec peracto curriculo, novus
Hospes beatis sedibus inferar,
Et mole carnis defluente
Mens superûm volet ad theatra.



PSAL-

PSALMUS XXIII.

Ad cœlum non pertingunt, nisi justi, & qui expectant redemptionem Israël, quibus cœli janua aperitur.

Domini est terra, & plenitudo ejus &c.

QUæcunque tellus, seu rigidâ plagâ,
Seu mitiori continet, omnia
Illius â dextra reguntur,
Qui Superûm dominatur astris.
Hic grande pondus pensilium orbium
Dextræ potentis robore sustinet,
Et quidquid illis continetur,
Præsidio graviore fulcit.
Terram ambientis fluctibus æquoris
Innare jussit, quaque frementibus
Pulsatur undarum procellis,
Impavidum caput elevare.
Fontes per imos currere montium
Dedit canales; unde meantium,
Vis fluminum crescit, soloque
Pendit aquæ riguæ tributum.
At illa sedes propria Numini est,
Quæ Sole, & astris exspatiantibus
Dispuncta latè terram & æquor
Æthereo tenet igne cinctum.
Huc vota tendunt multa: sed omnibus
Non est facultas indita. Quis tamen
Conscendet in montem? aut beato
Colle gradum stabilem locabit?

Cûi pura mens eſt, cûi manus innocens,
Immunis auri, & neſcia munerum;
Cûi inſolentis vanitatis
Nulla animum maculavit umbra:
Quem nullus error tramite devio
In falſa duxit, nulla cupiditas,
Fraus nulla adegit, peierando
Damna ſui cumulare fratris.
Hunc lapſa nimbo gratia perpluet,
Sinuq́ue Divûm ſuſcipiet favor;
Huic aſtra cœli largientur
Magna ſui documenta amoris.
Hoc calle jerunt, quotquot ad ætheris
Venêre ſedes: hâc adiget gradum,
Quicúnque quærit in beata
Luce Dei faciem videre.
Et jam triumphans grande ſequacium
Agmen clientûm Rex trahit, & polis
Succedit: alatæ catervæ
Spirituum, properate clauſi
Portas Olympi pandere. At audio
Quæri: Quis hic Rex! qui ſibi gloriam
Hic vindicaturus, triumphum
Accelerat properante paſſu?
Bellator ille eſt fortis, & inclytus:
Ab hoſte cæſo, pulvere ſordidus
Adhuc Gradivi: cujus armis
Emoriens dedit hoſtis herbam.
Inſtat triumphus: ſurgite Principes,
Qui pura olympi clauditis atria,
Levate

Levate portas: victor urget
Æthereas ſubiturus arces:
Quæ rurſum eunti ſit mora? Quæritis
Quis ille ſit Rex? omnia dixero
Compendioſè: Rex beatis
Qui ſuperûm dominatur aſtris.

PSALMUS XXIV.

Spretis mundi cachinnis & illuſionibus ſpem ſuam fundat in Deo, cujus auxilium implorat.

Ad te Domine levavi animam meam, &c.

EVectus alis & fidei, & ſpei,
Ad te profundo è pectore ſpiritum
Deus levavi: imò profuſas
Corde preces, oculis ſeveris
Tu non repelles. Non ego perluam
Rubore vultum, non mihi diffluet
Pudor verecundus per ora,
Nec populi maleſani iniquis
Exſibilabor riſibus. Omnium
Eſt dogma certum: Qui tibi ſe ſacrat,
Speratque, ſuſtinetque, nullo
Opprobrio patiêre tangi.
Illis pudoris ſe nebula impium
In os refundat, quos malè conſcius
Irretit error, quos ſeveris
Impietas cohibet catenis.

At

At me obſequentem legibus ætheris
Non impedito dirige tramite,
Quô per ſalebras culta gemmis
Regna poli liceat ſubire.
Lux ambulanti ſit mihi veritas,
Tectisque mentem fraudibus explicet:
Tu Dux ad aſtra; te ſupremum
Noſco meæ columen ſalutis.
At lubricantis ſi pedis impetum
Error fefellit; ſi malè credula
Juventa calle tortuoſo,
Per ſalebras vitiorum, inanes
Abſumpſit annos, & fluidæ dedit
Seſe voluptæ; tu memor attamen
Benignitatis, quam Parentes,
Atque Atavi coluêre noſtri,
Oblivionis perpetuæ mea
Infer ſepulchro crimina, & aviæ
Prudentiæ errorem in juventæ
Flexibilis genium refunde.
Ad lenitatis reſpice regulam
Tibi coævæ: quod meritis meis
Negare poſſes, non negabis,
Quod bonitas tua poſtulabit.
Bonum, piumque; at non minùs arbitrum
Juſti tenacem te didici, Deus;
Hinc, calle ne exerremus æquo,
Lege viam facili docebis.
Tu manſuëtis per tua dogmata,
Per jura legum tu placidis viris

Diſcrimen oſtendis viarum, &
Quam teneant, fugiantq́ue, ſignas.
Qui te requirunt, legibus & tuis
Mores coërcent; his tua lenitas
Blanditur, hos & veritatis
Calle regis, dociles q́ue flecti
Sanctis inundas illecebris poli.
Hoc lenitatis lumine reſpice
Me, Numen, errorumq́ue labem
Tolle tuæ pietatis igne.
Agnoſco crimen: ſed pietas tua
Major reatu eſt. O! quis in intimo
Legem Tonantis corde ſculpſit?
Hujus iter regit ille, & alto
Infert Olympo. Hìc ebria gaudiis
Mens innatabit; quæq́ue ſequentibus
Succedit annis poſterorum
Linea, ſola ſolo imperabit.
Hìc non timebit lapſu Acheronticum
Turbare ſulphur: dextera nam Dei
Caſum vetabit, & latentes
Luce ſuâ laqueos docebit.
Ergo beatum Numen, & ætheris,
Terræq́ue Rector, tu mihi es unica,
Dum vivo, cura; non retortos
In te oculos, animumq́ue figo.
Tu, ne paratis retibus implicer,
Pedem docebis lumine provido
Vitare fraudes, machinaſq́ue,
Quas ſtygii poſuêre Manes.

Tuis

Tuis ſtatutum eſt vivere legibus
Cœli Imperator: ſed niſi reſpicis
Me fronte miti, largiusque
Dona tuæ miſerationis
Effundis in me, protinus obviæ
Neceſſitatis pondere ſupprimor;
Et deſtitutus ſortis aurâ
In nihilum recido negatæ
Felicitatis. Namque laboribus
Fractus, dolorum me cruciantium
Sub mole laſſatus, fatiſcam,
Et manibus dabor impiorum
Optata præda. En quantus in ardua
Conjurat hoſtis prælia! quàm mea
Denſam coactus in phalangem
Multiplici petit oſſa ferro!
Tu me tuorum protege Numine,
Deus, favorum; deque periculis
Tot erutus non erubeſcam
Te columen dubiæ ſalutis
Mundo fateri. Nec mihi poſtulo
Soli levamen; poſtulo id omnibus,
Quoscunque commendat peractæ
Integritas, probitasque vitæ.
Hi me ſequuntur, conſociataque
Dant vota votis: hos Deus eripe
Omni procellâ, & tutiorem
Portum aperi tuo amore dignum.

PSALMUS XXV.

A Saule fugitivus Deum innocentiæ Judicem appellat: postulat exiliô liberari: refert gratias, quod inter impios non sit contaminatus.

Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea, &c.

DUm me tyrannus, criminis inscium,
Reumque solâ voce calumniæ,
Condemnat; ad tuæ tribunal
Justitiæ sapientiæque
Apello, Numen. Mens bene conscia
Integritatis, puraque candidi
Juventa cordis nil veretur
Stare tuos, Deus, ante vultus.
Tuæ æquitatis non variabilis
Tenor secundam spem mihi suggerit
Fore, ut tuos cernam ante vultus
Invidiæ cecidisse tela.
Adsum. Severo contrahe amabilem
Rigore vultum; suppliciis meam
Fidem experire: nil pavesco:
Ure fibras, fode pectus ense:
Mentem videbis, ceu speculi in vitro,
Benignitatis munera prodigæ
Considerantem; & veritatis
Luce oculos animumque pasci.
Non vanitatis conciliabulis
Senator unquam perfidus adfui;

Nec

Nec hausi Avernale execrando
A socio socius venenum.
Odi scelestos, qui velut agmine
Denso cohærent, & velut aspides
Venena spargunt, invidamque
Linguam acuunt aliena puræ
In damna famæ. Non ego misceor
Turbæ impiorum : malo vel horridas
Feras, vel infestos Dracones,
Vel Furias socias habere.
Procul scelesti. Mens mihi limpidis
Est lota rivis : cætibus inferar
Solùm innocentûm, queîs licebit
Sacra tuas dare thura ad aras.
Hìc te canoro carmine barbitus,
Hìc te sonoris classica tympanis
Permixta laudabunt, lyræque
Facta tuæ memoranda dextræ
Dicent nepoti. Quantùm ego gestiam
Tuæ decorem cernere gloriæ,
Et clara, Solique invidenda
Templa meris habitata stellis
Subire ; tu scis. Ne patere, ò Deus,
Me perditorum funere ad ultimum
Trahi sepulchrum, queîs cruoris
Torret avara sitis medullas :
Quas vel rapinis vivere, vel juvat
Captare plenâ munera dexterâ
Ad innocentes opprimendos ;
Et Themidem licitari avarô

Auri metallô. Si innocuum hactenus
Tu me probâsti, jam propior meis
Accede votis, & benignâ
Fronte pios mihi redde nictus.
Quodsi salutis fortior institi
Calli, & retortas non tenui vias
Exempla sectatus, malignum
Nec socii socius venenum
Coactus hausi: muneris hoc tui est.
Hinc te sonoris cantibus efferam,
Interque cœtus congregatos
Laude tuâ resonabit æther

PSALMUS XXVI.

Directus gratiâ, protectus brachio Dei, utut orphanus, & derelictus, nil metuit hostiles incursus, sed spem suam confirmat.

Dominus illuminatio mea, & salus mea, &c.

LUx, sempiterni filia luminis,
Quâ splendet æther, quâ micat aurei
Frons læta solis, quaque comunt
Astra suas radiosa flammas;
Hæc me benignis aspicit ignibus;
Hæc mentis umbras exiliô jubet
Facessere æternô; & beatâ
Irradiat mihi luce pectus.

Dextra illa firmo robore prædita,
Quæ librat orbem, & pensile siderum
Portat theatrum, terminoque
Figit aquas, solidatque terram:
Hæc me tuetur, non superabili
Protectionis munere. Quis mihi
Insultet hostis? quis timoris
Ossa gelu mihi stringat horror?
Quid vis coactis densa cohortibus
In me vel egit? vel potuit? Minis
Stragem ferebant, & voraci
Dente famem, mea perdituri
Ossa in minutal: sed memorabili
Clade interempti, tela retrogradæ
Sensêre vindictæ, suâque
Impliciti cecidêre fraude.
Si castra densis obsidionibus
Latus coronent, obvia si mihi
Stet sylva contis, adferatque
Mille neces pluviis in armis.
Qualis frementes Oceani ad minas
Stat firma rupes: nec metuit polus
Imbres sagittarum, nec Euri
Ad furias bene fabricata
Turris movetur: talis ad hostium,
Quamvis inermis, spicula, & æreos
Stabo furores, & serenâ
Excipiam irrita tela fronte.
Sic hoste luso nil aliud mihi
Restat vovendum, quàm ut veniat dies

Ventura quondam, quæ beati
Me ſtatuat regione templi,
Divinitati quod voluit ſuæ
Numen parari, ac inde ad olympicas
Deducar ædes, quas obryzo
Cœlitibus fabricavit auro.
Ubi & voluptâ perpete perfruar
Æternus hoſpes. Spes mihi pectore
Hæc ſculpta firmo eſt. Nam ſalutis
Ille meæ ſitiens ſub umbra
Tentorii me condidit, hoſtium
Contra procellas; meque periculis
Procul remotum, firmiore
Arce ſui eſt tuitus favoris.
Quidcunque contrà turba rebellium
Molita, jactu concidit irrito;
Et quæ pavebam, caſſa plantas
Ante tuas cecidêre tela.
Hinc vota ſolui: hinc victima multiplex
Eſt cœſa ad aras: hinc tibi gloria
Victoriæ cantata; & ultrà
Sæpè meo recinenda plectro.
Ergo benignum tu precibus meis
Jubar ſereni luminis explica:
Te mente ſemper quæro anhelâ; in
Fronte tua mea fixa frons eſt.
Ne mî benignum ſubtrahe Cynthium
Vultûs paterni, nec tenebris diem
Involue frontis, nec ſeverâ
Nube oculi tumula pyropum.

Sed

Sed me doloris erue caſſibus,
Quos ſtruxit hoſtis ; nec ſine victimam
Ferrô immolari : namque cernis
Me patre matreque deſtitutum.
Audita vox eſt ! præſidio undique
Tuto carentem me patrio Deus
Sinu recepit, filiique
Jure dedit mihi gloriari.
Hinc qualis infans, figere neſcius
Pedem tenellum, me tibi dedico,
Numen, regendum : per viarum
Me dubias rege ſectiones ;
Nec devianti tramite ſuſtine
Ab hoſte duci ; nevè libidini
Sævæ relictus, impiarum
Dilanier manuum furore.
En, quàm dolosâ nube nocentium
Mendaciorum me Furiæ opprimunt !
Sed ira caſſa eſt : jacta nervo
Tela ſuum recident in arcum.
Nam poſt labores mox ego nubibus
Terræ evolutus, me ſuper æthera
Feram volatu, fonte grato
Sidereæ fruiturus auræ.
Quin ergo ſurgis ſpes mea, vincere
Secura ? Surge, & te fidei indue
Armis, morantemque amœno
Diſce animo tolerare dextram

PSALMUS XXVII.

Exaudiri petit à Deo, dum ab æterna damnatione liberari postulat: spem hujus concipit, & se, ac populum Deo committit.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas, &c.

MOnarcha Regum, stelliferos super
Excelsus orbes qui solium tenes,
Quod sæpè mœrens postulavi,
Ne sileas, pia quando vota
Tuas ad aras fundo: negante te
Responsa votis, exanimis cadam,
Cadaverum miscendus umbris,
Et tacito tumulo inferendus.
Audi querelas, dum tibi flebili
Loquor, profundo è pectore, lachrymâ,
Manusque tendo supplicantes
Ad solium miserationis.
Ne me scelestis misce operantium
Iniqua turmis, ne simul in lacum
Flammâ fluentem sulphuratâ
Cum nocuo innocuum retrudas.
Ne me malignis associes, Pater,
Quêis melle lingua est illita, pectore
Sævit venenum, & illecebris
Labra fluunt, animusque felle.
Illos perenni, pro meritis, stygio
Infer sepulchro: quoque dolos suos,

Frau-

Fraudesque mensi sunt, eodem
Supplicium modio repende:
Nì lachrymarum diffluat imbribus
Cor pœnitentûm, factaque diluant;
Id colligant, quod seminârunt,
Sitque operi sua, & æqua merces.
Si mente surdi magnificentiæ
Non audiêrunt elogium tuæ,
Aut luce cassi, quæ relucet
Vis animi sapientis orbe
Diffusa toto, non oculis sui
Vidêre vultûs; tu celeri genus
Extingue fato, omnemque stirpem
Exitiô sepeli supremô.
Hæc sunt Tonanti debita munera;
Cujus potenti, vota supra mea,
Fluxêre dextrâ; qui precantem
Consilio auxilioque prompto
Est prosecutus. Nullius irrita
Repulsa spes est: sic mea constitit
Firmata cœlo: sic olympus
Præsidio properante rebus
Præsens in arctis adfuit. En novæ
Tranquillitatis me radius subit,
Frontemque rursus conserenat
Flore novo viridis juventæ.
Flammæ canori surgite pectoris,
Et excitatis ad sonitum lyris
Cantate Numen, roborante
Quo populus stetit inter hostes,

Ut murus armis insuperabilis;
Pulchroque stravit Marte superbiam
Tot perfidorum, qui pæana
Ante habitam cecinêre palmam.
Sic porrò, Numen, perge tui gregis
Tractare curas, qui datus est tibi
In portionem hæreditatis;
Hunc gremiô patriô fovere
Dignare, & alto sidere depluis
Donis inunda, donec Olympicas
Translatus in sedes perenni
Laude tuos memoret triumphos.

PSALMUS XXVIII.

Convocato ad holocausta populo proponit Divinæ Omnipotentiæ prodigia, tam per naturæ effecta, quàm per Israëlis benedictiones.

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino, &c.

ADeste ad aras progenies piis
Dilecta cœlis: huc numero gravi
Tributa ferte victimarum, Ar-
Menta sacrô ferienda cultrô.
Erravi: ad aras pectoris intimi
Tributa laudis ferte, & honoribus
Numen coronate, & medullæ
Laude sonent, animique cantent

Deo

Deo triumphos ſancta per atria.
Audite, quantis Omnipotentiæ
Signis Tonantis vox, quibusque
Se indiciis manifeſtet orbi.
Vox hæc volatu ſidereas ſuper
Incedit undas, commovet aëra,
Cietque nimbos, nubiumque in
Fulminea coquit officina
Ignes triſulcos : ſi graviùs tonet;
Exaſperatis fluctibus æquoris
Rixantur undæ, & nunc dehiſcunt
Ad ſtygii fluvii usque abyſſos,
Nunc elevatis undique montibus
Cœlum laceſſunt. Magnificentia
Virtusque vocis ſe propagat,
Quà rutilus meat igne Phœbus.
Vox illa ventis fræna licentiæ
In bella laxat, quâ nemora involant,
Et arbores inter ſtrepente
Sævitiâ & fremitu laborant.
Vox illa cedros, quæ Libano ſuper
Risêre nuper, ſtirpitus eruit
Radice ab ima : quin Saronem
Et Libanum movet. Unicornis
Saltantis inſtar, vel vituli in modum
Petulcientis. Vocis ad illius
Sonum vel unum it fulgetrorum
Flamma levi per inane raptu,
Terretque montes, & juga concutit
Deſerta Cades, ac Arabum movet

Pavore tesqua : nil tonantem
Non trepidâ bibit aure vocem :
Feræ expavescunt, & timida in fuga
Fœtus acerbos, nec bene propria
In membra ductos, per timorem
Cerva suum parit ante tempus.
Si tesqua nigris æmula noctibus
Caligo obumbret, vox ea lumine
Dispunget umbras, quæque tecta
Nocte diu latuêre, mundus
Aperta cernet, templaque gloriam
Dei sonabunt, & socium dabunt
Aves per auras innatantes,
Astra poli, maris unda, tellus
Laudis tributum. Quis mare nesciat,
Jubente voce hac, se super arduos
Tulisse montes, & sepultum
Diluviô tumulâsse mundum ?
Sic porrò virtus Omnipotentiæ
Sedebit alto culmine gloriæ,
Marique, terræque, ac Olympo
Jura dabit, populisque leges.
Infirmiores impenetrabilis
Virtute scuti muniet, & suo
Hosti timendos reddet, etsi
Sit numero, furiisque major.
Tandemque pacis munere candidæ
Dabit quietis civibus otia,
Nostroque, puro cusa ab auro,
Sæcula restituet nepoti.

PSALMUS XXIX.

Superatâ persecutione invitat ad Laudandam Divinam bonitatem, quæ ad modicum videtur subtrahere auxilium, quod compensat interno animi gaudio.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, &c.

EXpergefactis ad sonitum lyris
Te, Rector orbis, semper amabilem
Vocabo in oden, suggeresque
Materiem mihi laudis amplam.
Tu me inquietis fluctibus eruis,
Mortisque telô; nec pateris meis
Gaudere damnis, qui ferebant
In celeri mea fata ferro.
Opem poposci: Vix bene protuli
Vocem canoro pectore, tu mihi
Opem tulisti, & sauciati
Vulneribus medicatus, auræ
Me reddidisti; nec spolium rapi
Me passus Orco es, nec stygiis dari
Lupis in escam, nec perennè
Tartarea sepelire in urna.
Vos, qui crematis thurea Numini
Tributa ad aras: vos, quibus est amor
Castus Tonantis, quosque cœli
Tangit honor, placidum vocate
In plectra Numen; tympana, classica,
Fidesque, nerviique, & cytharæ,& lyræ,

Bu-

Buxíque placato Tonanti
Auxilii memores rependant
Per metra laudes. Si malè conſciis
Sum fortè viſus poſcere vindicem
Pœnas per indignationem ;
Ira brevis fuit illa, bullæ
Par defluenti. Difficilis manu
Tonare pœnas ; ſed facilis dare,
Quod vota poſcunt innocentûm,
Tela tenet breviore pugno,
Suisque laxat muneribus manum.
Si fortè ſero veſpere verberat
Par vindicanti, & noſtra turbat
Triſtitiâ graviore corda,
Cietque fluctus ; mox roſeas ubi
Aurora Solis nuncia januas.
Cœli reducet, inſequentur
Deliciæ, facilesque riſus.
Sic gutta fellis flumine melleo
Attemperatur : plectere parcior,
Levare promptus ; tela tardus,
Dona celer ſua ſpargit orbi.
Ego, ſecundis dum Zephyris mare
Navis quietum ſcinderet, & bonâ
Vectarer aurâ, blandiebar
Ipſe mihi, tacitoque corde
Mecum loquebar : Quæ mihi plumbeæ
Procella ſortis fluctibus auream
Turbare poſſit ? quisquis inſtet,
Intrepidum feriet tumultus.

Sic,

Sic, cùm faveres, fortior Hercule
Mihi videbar; nec clypeum manu,
Quæcunque tempestas feriret,
Posse rapi, temerè autumabam.
At blandientis mox ubi gratiam
Vultûs retrorsum flectere visus es,
Heu! quanta turbato repentè
Incubuit capiti procella!
Inter tepentes sic ego lachrymas
Quò vertar? inquam: me mea deserit
Fortuna; fœlicemque sortem
Sors gravior violenter aufert.
Ad te revertar, tunc ego dixeram,
Creator orbis; te prece supplice,
Madensque fletu, lachrymisque
Irriguis in opem vocabo.
Nam quid profuso sanguine juverit
Te gloriari? scilicet impii est
Hæc laus latronis. Quid juvabit,
Me putridam in saniem resolvi?
An fortè mutus sub gelido latens
Cinis sepulchro postera sæcula
Docebit in laudes tuorum
Ire operum? vel amica ab umbris
Redibit Echo? quæ tua proferat
Latè per orbem prodigia? Audiit
Deus precantem; moxque blandæ
Frontis ebur, placidumque vultum
In me reflexit, rursus & obviam
Opem tetendit. Tunc animo simul

Do-

Dolorque, luctusque exulârunt,
Et facies novæ amœnitatis
Affusa cordi est. Hinc tibi barbiton,
Plectrumque, Numen, dedico, laudibus
Tuis canendis, quas & olim
Voce feram super astra cygnus.

PSALMUS XXX.

In persecutione, quam patitur à filio Absolone, implorat Divinum auxilium; deplorat suum statum calamitosum & egestatem: præsagit pœnam impiorum, liberationem Justorum.

In te Domine speravi, non confundar, &c.

INter furentis prælia Nerei
Deprênsus alto navita providam
Resuscitavi spem, tuoque
Non dubiam solidavi amore.
Non sustinebis dedecus hoc meæ
Spei irrogari, ut concidat irrita,
Et lusa me vile æmulorum
Ludibrium faciat meorum.
Tu justus es; tu sterne tyrannidem
In me paratam: si merui, piam
Ostende frontem, auremque pronam,
Et misero propera levamen.
Assume pennas, ocyor advola
Meam in salutem. Tu mihi aheneæ

Mu-

Munimen arcis, inviaque
Rupe ſuper mihi forte vallum:
Tu robur omne es; tu mihi es unicum
Paventi aſylum: tu mihi tramitem
Oſtende, & ad vitam, viarum
Per ſalebras alimenta præbe.
Quo jure vitæ præſidium meæ es,
Illo revela condita retia,
Caſſesque tectos, quos fugaci
Turba pedi ſcelerata ſtruxit.
Hinc ducta vitæ ſtamina, ſpiritum,
Mentemque deſertam fidei tuæ
Committo. Tu, me liberandi
Pacta, fide ſtabili perenna.
Qui vanitatis ſomnia fabricant,
Stultisque præbent auguriis fidem,
Vel æthere inconſulto iniquis
Conſiliis meditata fundant;
His ſemper ultor vindice dexterâ
Poſt tergus inſtas, nec reputas tuo
Amore dignos; ſed perennis
Telô odii interitum minaris.
Non hæc probarum eſt regula mentium,
Neque hac cucurri incautus in orbita:
Cùm ne fatigarent procellæ,
Propitium mihi ſidus altò
Fulſiſti Olympô. Sculpta profundiùs
Fibris inhærent, quæ pietas tua
Collegit in me; eſt & voluptas,
Hæc memori retinere mente.

Adhuc

Adhuc recenti verſo in imagine,
Cùm perſequentis retrò tyrannidis
Furor ſonaret, imminensque
Mors trepido capiti tonaret;
Neceſſitatis margine in ultimo
Me liberâſti, nec manibus dari
Paſſus tyranni es, vel triumphi
Jura meis decorare vinclis;
Imò perampli tu mihi tramitis
Campum dediſti, quô celeri pede
Elapſus hoſti, perſequentûm
Præcipitem effugerem volatum.
Et nunc eodem v[illegible]vimur, impiis
Dum ſævit armis filius in patrem.
En quêis fluentis lachrymarum
Continuus rigat ora fletus.
Timore ſtringor, ceu fluvius gelu,
Exangue pectus frigore palpitat,
Vires recedunt, ſpiritumque
Exanimat fugitiva vita.
Ex quo involutus ſum puerilibus
Pannis tenellus, nulla dies mihi
Serena fulſit, fletibusque
Pars melior mihi ducta vitæ eſt.
Hoc deêrat unum ſortis ad aſperæ
Fatum ſupremum, ut pauper, & indigus
Opis peregrinæ latrantem
Eſuriem Cerere edomarem:
Quâ pes lababat, quâ cilii vigor
Fractus cadebat, coſtaque pectore

Exſta-

Exſtabat omnis ; quâ ora livor,
Membra rigor,tremor oſſa habebat.
Mœrore in iſto ludibrium meo
Sum factus hoſti ; quique propinquior
Me ſanguine attingit, ſui me
Nominis opprobrium, ſuæque
Immane famæ dedecus æſtimat ;
Metuque tactus fors petulantiæ
Deriſionum, ſingulari
Perfidiâ negat eſſe eodem
Me fonte natum. Qui mea limina
Priùs terebant, jam procul abſtinent ;
Et fronte dejectâ, & ſilente
Prætereunt mea tecta paſſu.
Obliteratus mentibus omnium
Condor ſepulchrô, nullaque nominis
Fama eſt ſuperſtes, fictiliſque ut
Fruſta operis, pede tranſeuntis
Conculcor hoſtis : ſtant propè in angulis
Cœtus coacti, & prætereuntium
Aures laceſſunt, in meumque
Mille caput maledicta jactant.
Quin execrandis conciliabulis
Mortis reus pronuncior, & furor
Communis aſſenſu nefando
Interitum mihi machinatur.
Sed, qui tui ſpe roboror auxilì,
Æſtum meorum non timeo hoſtium
Solorque me,quòd ducta vitæ
Fila meæ tua dextra verſet.

Tu

Tu me meorum de unguibus hostium,
Omniq́ue sævæ perfidiæ metu,
Ut scis, potesq́ue, sic benigno
Corde velis rapere innocentem.
Vultûs serenô me radiô aspice,
Ut, qui precari sum solitus tuam
Opem, experimentô levamen
Te innocuis properare discam.
Pudor reorum in frontibus occupet
Sedem ruboris, subq́ue Erebi lacu
Confusione sempiternâ
Corda premat pudibundus horror.
Et lingua apertis sueta latratibus
Mordere famam, texere stamina
Fraudum catenata, & superbo
Calce caput premere innocentûm.
Ad antra Lethes, Eumenidum ad focos,
Ad culta Averni incendia Manibus,
Rogosq́ue, flammantesq́ue fontes
Perpetuâ pice detrahantur.
Quid ista longo carmine persequor?
Illuc Camœnæ vertite barbiti
Castæ labores, unde justis
Vena fluit melior bonorum.
O! quanta merces propositi viros
Justi tenaces æthereis super
Manet theatris? quæ voluptas
Irriguis pia corda potat
Torrentis undis! Quàmlibet horridæ
Quandoq́ue spument fellis amystides,

Ut ſors videtur ; cùm bibuntur,
Nectareo recreant ſapore.
Poteſt timoris vulnera longiùs
Spectare Juſtus ; non poterit tamen
Illis feriri : intra favoris
Namque tui bene ab hoſte tutam
Arcem locâſti. Hinc deſpicit irritas
Livoris artes, caſtra potentium,
Manusque ferrum comminantes,
Ac odii invidiæque plenas
Linguas veneno. O ! ſidereæ plagæ
Æterne motor, ſit tibi gloria,
Qui me, velut murum obſidendum
Arce tuæ pietatis ambis,
Valloque munis. Et tamen (ò mei
Pudor timoris !) primus ubi impetus
Factus malorum, penè motus
Mente, animi poſui vigorem :
Gemensque dixi : Quò mea truditur
Fortuna, Numen ! Siccinè projicis
Te deprecantis vota ? & urges
Fronte tuâ procul exulare ?
At tu benigni rurſus amicior
Dignatus oris blanditiis tuum
Servum, audiiſti ſupplicantis
Vota pio cumulata fletu.
Quid innocentes, & nive candidâ
Illuſtriores vos animas tenet ?
Quin ad Deum, terrâ relictâ
Veſter amor ſua vela vertit ?

Huc

Huc convolemus. Candida veritas
Illic patebit, nec minùs æquitas
Discriminabit falsa veris,
Nec Furiis stygiis relinquet
Nos devorandos : sed sua fulmina
In fastuosos vertet, & edita
Ab arce dejectos honoris
Præcipites in Averna mittet.
Audete mentes innocuæ, polo
Quæ spem locatis, fidite Numini
Vos diligenti : certa spes est,
Quæ Domino bene fixa adhæret :
Audete : nec vos terreat acrior
Insultus hostis. Prælia gloriam
Campô reportant, quæ Tonantis
Auxiliô, arbitrioque aguntur.

PSALMUS XXXI.

Describit suum pœnitentis statum.
Commendat mandatorum divinorum observantiam.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c,

QUàm sorte faustâ, quamque beabili
Fertur quadrigâ, cûi superûm Arbiter
Dimisit errores, piæque
Omne scelus sepelivit urnâ
Oblivionis ! cûi nihil improbi
Cœlum imputavit criminis, & doli

Ve-

Veſtigium in cordis receſſu
Ipſe polus nequit invenire.
Quamdiû ſilebam, cæca profundiùs
Fibris inhæſit plaga, & acutiùs
Tantò momordit corda, quantò
Tecta magis latuêre acerbi
Venena morbi. Diſſimulatio
Mali vorantis non medicabile
Fecit venenum, corporiſque
Oſſa meo ſenuére morbo.
Cœco rotatus pectoris impetu
Vocem levavi ſœpe, ſed irritam:
Fixam medullarum receſſu
Dum puduit reſerare ſpinam.
Seu pura cœli ſidera purior
Titan olympo pelleret aureis
Lucis ſagittis, ſeu ſilentes
Luna boves ageret per axem;
Semper gravantis verbere dexteræ
Intus premebar, quáque ferociam
Nitebar evitare parte,
Spina novo mihi ſauciabat
Dolore pectus. Tunc ego vulnere
Meo eruditus, pectore conditam
Plagam retexi, nec ſepultum
Continui tacitis tenebris
Mali venenum: lingua latentium
Interpres umbrarum ipſa ſuum in ſcelus
Philippicas egit, doloris
Sunt oculi reſoluti in undas.

Tunc flente dixi pectore: quid moror
Noxam fateri non medicabilem?
En ante vultus, & tribunal
Ante tuum reus ipse & actor
Assisto, Numen; quodque diu sinu
Clauso tegebam, detego toxicum:
Genuque flexus, supplicique
Voce precor veniam reatûs.
At tu benigno lumine, ut assoles,
In me reflexo, frontis amabilis
Nictum dedisti, & pertinacem
Corde rei maculam expiasti.
Hinc si quis atro funere spiritum
Mentemque mersit, te veniæ patrem
Requirat, & flens deprecetur
Ante tuæ pietatis aram;
Nec pœnitendi negligat horulam:
Periculosa est quælibet, undique
Cùm mors minatur: certa præsens
Hora tibi est, dubia est futura.
Sic quando cœlum desilientibus
Laxabit undis fræna licentiæ,
Omnemque latè fuso aquarum
Diluvio tumulabit orbem,
In non paventem depluet imbrium
Congesta moles; & licet omnium
Salus in undis naufragetur;
Ille suâ rate tutus ibit.
Tu, gratiarum qui pelagus mihi es,
Et fons bonorum semper euntium,

Et qui patratorum nefando
Corde ream maculam abluiſti;
Et nunc recentis munere gratiæ
Crudelitatem deme doloribus;
Mea ò voluptas, ambientûm
Me pelago rape acerbitatum.
Audimur! ò quæ collibus ætheris
Reſpondet Echo? Mente tuas, ait,
Umbras ſerenâ luce tollam, &
Sole novo irradiabo pectus:
Viam docebo, quam teneas, gradum
Firmare certum tramite lubrico,
Vitare præruptum; tibique
Pervigili comes ibo curâ.
Audiſti iſthæc, gens malè perfida,
Et ſic amantem non colitis Deum?
O bruta mens! bruto jugali
Mens ſimilis, ſimilisque mulo!
Ferant lupatos bruta, vel incubis
Diſcant flagellis imperium pati;
At providente tu appetitum
Indomitum ratione flecte.
Futura certo lumine provide,
Quæ fortè Phœbus craſtinus adferet.
Benigna natura eſt Tonanti;
Ille tamen ſcit & aſperare
Manum flagellô. Dilige amabilem
Patrem; ſed æqui non minus arbitrum
Time: ille & arcu, & igne, & armis
Perſequitur capita impiorum.

At justi & æqui propositi virum,
Spei tenacem semper amantibus
Defendit armis, atque muro
Insolitæ pietatis ambit.
Quin ergo sanctis carmina plausibus
Vos corde puri ad sidera mittitis?
Hæc vestra sors est: huc laborent
Ora modis, animique plausu.

PSALMUS XXXII.

Argumentis ductis à Dei veritate, Justitiâ, Misericordiâ, Sapientiâ, & potentiâ Dei, invitat justos ad hujus laudes.

Exultate justi in Domino, rectos decet, &c.

VOs, quos amante in pectore Numinis
Favor paternis stringit amoribus;
Mentemque, facundamque festis
Lætitiis animate linguam.
Hæc est laborum summa, volentibus
Placere cœlo; cor in amabiles
Ciere cantus, & canorâ
Voce Dei celebrare laudes.
Hic plectra, nervi, barbita, tympana,
Chelesque gratos in modulos sono
Concorde spirent, bisque quinâ
Metra fluant modulata chordâ.
Nec pura vocis gratia publico
Festo negetur. Si facili sono

Quan-

Quandoque, nunc ſublimiore
Muſa fluat liquefacta metro.
Namque illi in ore eſt candida veritas,
Ignara flecti in judicio æquitas,
Fides in illis quæ ſpopondit,
Et ratio moderata in actis.
Quodſi ad tribunal conſideat, latus
Utrinque cingunt blanda benignitas,
Rigor ſeverus; temperatque
Blanditias rigor, & rigorem
Benignitas. Et quamlibet utraque
Sit chara virtus; ſed pietas magis
Eſt nota mundo, quam loquuntur
Aſtra, ſolum, mare, & unda, & aura.
Orbes olympi, quos gemino vides
Polo rotari, Numinis unicô
Verbô ſteterunt, hosque flatu
Uno agiles fugat, & reducit.
Mare inquietum margine littoris
Concluſit, & ceu vaſe licentiam
Compreſſit, unde per meatus
It liquido tacita unda fluxu,
Fontesque terræ de penuario
Diſpenſat orbi. Hunc ergo genu tremens
Adoret orbis, qui recentem,
Quique ſenem videt ire ſolem,
Abusque Mauris ad gelidos ſcythas,
A ponto ad Indum. Nullus ut invius
Locus Tonanti eſt, ſic Tonantis
Nulla pio vacat ora cultu.

Verbum, nec ultra, fatus; euntium
Statim polorum machina prodiit
Diſpuncta ſtellis, fluxit aër,
Oceanus tumefecit undas.
Dixit: nec ultra: mox juga montium
Seſe extulerunt, flumina vallibus
Fluxêre, ſtillavêre fontes,
Et celeres abiêre rivi
Per plana: tellus, quà exſpatiantibus
Campis aperta eſt, floribus induit
Recentibus frontem, togamque
Omnigenis variavit herbis.
Quis auſit altæ vim ſapientiæ
Jactare? quidquid callida gentium
Fraus machinatur, fine fraudat,
Et populi meditata ſpargit
Vanas in auras, ſenſaque Principum
Arcana ludit. Sed ſua ſæculis
Stabit voluntas ſempiternis.
Quæque ſemel ſtatuit ſenatu,
Firmata fato ſtant adamantino,
Æternitatis ſcripta volumine.
O gens beatâ ſorte nata!
Cûi dominus, Deus eſt, peroſus
Deos inanes, ſaxea Numina,
Vel ſculpta trunco. O ſidere proſpero
Gens orta! quam Numen repleri
Dote ſui voluit favoris:
Cûi dona terræ, cûi Charites poli
Ex aſſe legat, quam ſibi propriam

Secernit, hæredem & bonorum
Conſtituit, tabuliſque ſcripſit!
Ille æviterno de ſolio aſpicit
Diffuſa mundi regna, nec effugit
Vel unus aſpectum: ille curas,
Ac hominum ſtudia intuetur.
Et qui receſſus pectoris intimos
Manu architectâ compoſuit, videt
Et cogitatus, & quod alto
Corde tegi potuiſſe credis.
Quid arma Martis? quid fluitantia
Vexilla campo? & fulmineô emicans
Ariſta ferrô? miles auctus,
Inque aciem bene diſtributus
Regem juvabit? quid numerô gravis,
Manu timendus, robore fortium
Exercitus prodeſt gigantum?
Nemo Deo movet arma ſine
Beanda fauſto. Qui rapidâ ungulâ
Sperat ferentis Bucephali inſequens
Vitare fulmen, vindicemque
Ludere Pegaſeo volatu
Tonantis iram; dum præit, attrahit
Velociorem: dúmque putat procul
Fugiſſe ſeſe, verberantem
Ante ſuos videt ire vultus.
Benigniori lumine reſpicit
Cœlum innocentes, quíque timent poli
Calcare leges, eriguntque
Lapſa, Dei pietate, corda.

Illos periĉlis eximet ultimis
Lethi imminentis, fatáque proxima
Cautè antevertet, nutrietque
Ambrosiâ superûm famentes.
Huîc nostra plenè pectora Numini
Sese remittunt, cujus in omnibus
Periculis experta virtus
Nos studio tuita est paterno.
Quod cùm recenti mens in imagine
Sibi exhiberi conspicit, influit
Cordi voluptas, mensque ad illum
Certa spei rapitur volatu.
Quam spe tenemus, re Deus exhibe
Benignitatem ; ut postera sæcula
Discant, eundem per canalem
Spem fluere, auxilium redire.



PSALMUS XXXIII

Ereptus periculô invitat ad reddendas Deo laudes, & plura tradit bene vivendi documenta.

Benedicam Dominum in omni tempore, &c.

SIve imperator luminis aureus,
Sive imperatrix lucida ſiderum
Cœlo invehatur ; ſive dextræ
Sortis agar meliore curſu ;
Sive in ſiniſtram me furioſior
Agat procellam turbinis impetus ;
Cataſtrophen adusque vitæ, &
Funereas morientis umbras
Suam Tonanti dicere gloriam
Non deſinam unquam. Tu mihi ſpiritum
Per membra fundis,perque nervos.
Surge anima, & liquidæ voluptæ
Expande pectus. Vos, quibus indoles
Manſueta cordi eſt, & genius pius,
Vos carmine applaudente veſtram
Lætitiam ſociate noſtræ.
Mecum triumphos magnificentiæ
Alterna cantu per metra dicite,
Et ejus alternante verſu
Cœlituum ſuper aſtra nomen
Tollamus unà. Nuper euntibus
Periculorum fluctibus obrutus,

Pavens Tonanti ſupplicavi,
Ille preces timidas favente
Excepit aure, & pronior adſuit
Seſe invocanti; quíque meum propè
Caput flagellabant, pavores
In faciles dedit ire ventos.
Ad hunc beati luminis auſpicem,
Fontémque Solis vertite lumina,
Et ſenſa mentis, vos ſerenâ
Luce ſui irradiabit oris;
Et vindicabit corda pavoribus,
Umbrisque pectus; nec tacitæ abnuens
Preci, verecundo rubore
Ora feret pudibunda tingi.
Exempla noſtris diſcite caſibus:
Hic, quem videtis, fluctibus innatans
Opem vocavit, & paventem
E mediis rapuit procellis.
Ille è ſupernæ militiæ choris,
Ad arma promptis, magnanimum Ducem,
Clarum triumphis, atque amantem
Sæpè novas iterare pugnas,
In veſtra mittet ſubſidia; & velut
Valli fideles muniet ambitu;
Omnisque tempeſtatis ira
Ante pedes labefacta veſtros
Deponet æſtum. Ne mihi credite;
Vos experiri, ſi libeat, velim.
Guſtate cœli ſuavitatem,
Quàm liquido fluat illa melle;

Et quàm beatum ſortis inambulet
Homo theatrum, ſollicitudine
Metúque liber, qui Tonanti
Spéq;, animóq;, & amore adhæret.
Quicunque ſancti incendia pectore
Nutris amoris, quíque pio metu
Numen vereris, parce mente
Sollicitas agitare curas.
Deum timenti divite ſe dabit
Torrente rerum copia, & alveum
Cœlö fluentûm gratiarum
Nulla dies vacuum videbit.
Non ſic ſuperbi, quos opulentia
Ambire pompâ creditur, aut ferâ
Qui ſæviunt crudelitate,
Aut populi ſitiunt cruorem:
Horrens egeſtas his pede laneo
Incumbit, atroxque inſequitur fames,
Premitque demum, dum ſecundo
Ire putat ſua vota curſu.
At quos Tonantis vel reverentia
Stringit lupatis, vel timor, ac amor
Regunt euntes, affluentûm
Dives opum comitatur arca.
Venite, queîs eſt, nomine filii
Dici, voluptas; & mea dogmata
Haurite proni; vos verendâ
Lege pii erudiam timoris:
Audite. Quisnam eſt, quem juvat aureæ
Felicitatis ducere ſæcula?

 Si-

Sibíque ſemper qui ſerenos
Ire cupit ſine nube ſoles?
Primùm lupatis reprime lubricum
Linguæ calorem; nec ſine fraudibus
Stillare labra, vel nocentes
Ore dolos malè parturiri.
Cave, ſiniſtram currere ſemitam,
Quâ perfidorum fertur iniquitas:
Dextram teneto, quâ piorum
Innocuus calor ire geſtit.
Quod regna cordis pacis in otio
Servare natum eſt, providus occupa,
Et ad quietem comparandam
Omne animi ſtudium reflecte.
Nam vultu amoris Rex Deus aſpicit
Tranquilli amantes otia pectoris,
Et aure pronâ ſupplicantûm
Vota preces, gemituſque captat.
At vultuosâ fronte, minacibus
Ardente flammis, aſpicit impios,
Quorum nec umbram non ſepultam
Vult memori ſuſpereſſe mundo.
Si quando juſtus cum gemitu pia
Aſtra invocavit, protinus adſuit
Numen vocanti, lachrymaſque
Ex oculis pia dextra terſit.
Quin & paratis inſidiantium
Metu ſolutos caſſibus extulit,
Et, hoſte confracto, in beatæ
Conſtituit regione pacis.

Quem sors putares immemorem tui
Cessisse longè, dum premeris gravi
Sortis flagello, stat propinquus,
Et placidâ bibit aure mæsti
Cordis dolores. Fortis,& obsequens
Cœli jubentis nutibus, excipe
Primos furores, mox sequetur
Palma tuis manibus parata.
Sunt (quid negârim ?) multa pericula,
Duri labores, ardua prælia,
Quêis implicantur, quos regentis
Cura tenet, studiumque cœli.
Sed quid pavescunt ? his Deus aspera
Tormenta suavi nectare perluit,
Suique victores timoris
Perpetuam parat ad coronam.
Illi capilli, ne capite excidat,
Est cura solers : ergonè ab artubus
Artus revelli, torta frangi
Membra, teri patietur ossa ?
Nullum peribit. Sors manet impiam
Tam sæva turbam, cujus ad exitum
Mors obviabit, mille flagris,
Mille latus comitata pœnis.
Tandemque justus sollicitudine
Metuque liber, se super ardua
Ferri videbit, hostiumque
Se necibus superesse plaudet.

PSALMUS XXXIV.

Implorat divinum judicium contra perversos & fraudulentos impugnatores, quibus confusionem, suis protectoribus gratiam precatur.

Judica Domine nocentes me, expugna, &c.

SUpreme Regum, æquissime Judicum,
Tuum ad tribunal provoco: tu mei
Damna hostis acta, & verte retrò,
Quæ veniunt, inimica castra.
Apprênde scutum, fulmineâ manu
Distringe ferrum; fortior emica
In bella, frange hostile robur,
Meque tuæ tegat umbra dextræ.
Effunde cœlô tela volantia,
Mixtamque ferri turbine grandinem,
Et hostium me persequentûm
Omni aditu prohibe furorem.
Adverte vultum; dic animæ meæ:
Tuæ salutis non superabile
Me præsto scutum. Fac meorum
Dedecoris pudor æmulorum
In ora currat: quique suæ student
Felicitati per mea funera,
Dum vim supremam moliuntur,
Terga retrò fugitiva vertant.
Tempestuoso ut turbinis impetu
Nubem jacentis pulveris emovet,

Girat,

Girat, rapitque, dissipatque
Aut Aquilo, aut furiosus Auster;
Sic indecoram præcipites agat
Instans flagellis Angelus in fugam,
Cogatque in arctum, lubricoque
Per tenebras & opaca noctis
Calle insequatur. Nam mihi fraudibus
Struxêre casses, quàmlibet exitu
Minore votis, inque lapsum
Ante pedes foveam eruerunt.
In architectum fraus redeat suum,
Pedemque cœcis cassibus implicet
Mihi paratis, quamque fodit,
In foveam cadat ipse præceps.
Perfusa sacris interea mihi
Mens illecebris gestiet, & Dei
Secura dextrâ, gaudiorum
Irriguum colet ore fontem.
Si desit ore carmen, & eloquî
Facunda virtus, ossa tuas mea
Laudes loquentur; alterumque
Esse tui similem negabunt.
Tu fortiorum ex unguibus eripis
Infirmiores, & violentiam
Frangis superborum, & paratis
Auxiliis inopes tueris.
Quantis procellis tela calumniæ
In me ruebant! criminibus mihi
Nec cogitatis, nec patratis
Perniciem malè fabricabant.

Quid-

Quidquid bonorum munificâ manu
Prodesse avarus contuli in improbos,
Malis repensabant, nec ulla
Dona suum petiêre fontem.
At sub feroci dum gemerem jugo
Sortis prementis, squalida lugubri
Veste induebam membra, & atrâ
Esurie stomachum domabam;
Humoque stratus sidera supplice
Voce invocabam: si nihil hostibus
Prece impetravi, fructus in me
Fœnore non dubio redibit.
Placere quales officiis student
Amici amicis, aut studiis amat
Fratris sui favere frater,
Talis ego studui meorum
Bono æmulorum. Nec gemitu sui
Sic mæsta mater funera filii
Deplorat, ut me persequentûm
Sanctus amor tetigit dolore.
Et tunc, severus cùm capiti meo
Turbo immineret, me petulantibus
Jocis, cachinnis, risibusque, &
Lætitiæ petiêre signis.
Horrente nimbo flagra sonantia
In me ruebant, quem neque conscia
Mens arguebat cogitati
In populum sceleris, dolivè.
At dissipatis viribus impetus
Fuit retusus; nec tamen impotens

Furor

Furor reſedit, nec minaces
Compoſuit fremitus labores.
Mordacis ergo plebis aculei
Me vellicabant, nec minùs invida
E nube livor depluebat
Ludibriis populiq́ue ſannis.
Et cùm remotum plebs violentior
Me non valeret lædere, dentium
Stridore frendebat, ſuamq́ue
More canum ſtimulabat iram.
O quando tandem ! quando benignior
Bonum meorum conſtitues Deus
Finem malorum ! ſi favorem
Non mereor, tua te monebit,
Laudata per tot ſæcula, lenitas.
Exaſperatis eripe rictibus
Me tot leonum, perditoq́ue
Tot tygridum cadat ira morſu.
Tunc te ſalutem ferre vocantibus,
Noſtrosq́ue fletus mergere gaudiis,
Cantabo cœtus ad frequentes,
Et celebres populi coronas.
O Numen, audi ! nec patere, improbis,
Ut unde fluctus me premit, hoſtibus
Pandatur inde gaudiorum
Vena fluens, hilaresq́ue riſus.
Amica pacis verba dabant mihi
Condita melle ; at pectore toxicum
Iræ tegebant, callidisq́ue
Inſidiis malè cauti iniquam

Mor-

Mortem petebant. Si laqueo pedem
Forſan tenebar, ſcilicet improbo
Riſu ſoluti, oriſque hiatu
Mille probris mihi ſauciabant
Cordis medullas: Euge! faventibus
Noſtra, inquiebant, provehitur rotis
Fortuna; captum jam tenemus
Cûi toties lanqueos latentes
Labore caſſo ſtruximus. O Deus!
Aperta cûi ſunt omnia, reſpicis
In hæc? ſileſque? meque prædam
Dentibus eſſe ſinis luporum?
Expergefacto judicio meam
Defende cauſam, quamque fero innocens
Culpam ad tribunal evocatus
Lege tuæ perage æquitatis.
Exurge vindex, nec ſine, ut impii
Mærore noſtro lætitiam hauriant,
Nec, (Euge!) dicant, Euge! ſupra
Vota animi fluit unda ſortis:
Nec glorientur: jam vehimur boni
Curru triumphi! jam jacet: aſpice,
Fractuſque, concuſſuſque noſtræ
Dente famis lanianda præda.
Quin erubeſcant, quêis ſua luctibus
Noſtris emuntur gaudia, & induant
Vultu pudorem, quêis amori eſt
Dente meam lacerare famam.
At quêis amori eſt, juſtitiæ meæ
Intaminatus candor, & integræ

Mens puritatis; ſemper æquâ
Lege dies videant beatos;
Dicantque ſemper, qui mihi dulcia
Verè apprecantur pectoris otia,
Laudes Tonanti, cûi ſuorum eſt
Cura vigil, ſtudiumque promptum
Favendi in arctis. His ego pectore
Et voce jungam gaudia, quamdiu
Videbo ſoles, & perenni
Laude tuum celebrabo nomen.

PSALMUS XXXV.

Magna eſt ſæculi perverſitas; ſed major eſt Dei miſericordia.

Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo, &c.

DOgma hoc profundis impius imprimit
Cordis medullis: Quà lubet, hàc abi:
Hac lege vive, ut lege nullâ
Vota tibi patiare ſtringi.
Stultum eſt, timoris phaſmata fingere,
Dum te voluptas blandior afficit,
Suadetque jucundis gravatum
Deliciis relevare pectus.
Timore pulſo Numinis, omnia
Sunt ad ruinam rupta repagula,
Dolique fervent non latentes
Cœli oculos, radiumque ſolis.

O do-

O dogma flammis dignum Acheronticis!
Iniquitatis fructus hic emicat,
Exosa terræ ut sit, poloque, &
Ipsa suis laceretur ausis.
Si verba promat, verba nefario
Miscentur astu, nequitiâ, & dolis;
Spernitque, si quis sanctiore
Consilio potiora suadet,
Intenta semper deterioribus,
Quæ nocte secum consule fabricat,
Ut calle tecto sese honesti
Submoveat, scelerumque amicum
Iter sequatur. Maxime siderum
Terræque Rector, muneribus tuæ
Benignitatis plena terra est,
Astra poli, pelagique fluctus.
At lenitate est non minor æquitas,
Quæ par micantûm ad sidera montium
Stat firma semper, atque abyssum
Judiciis abit in profundam.
Humana gens hinc, hinc pecudes quóque
Sumpsêre vitam: par tibi, & improbi est,
Et innocentis cura, solis
Luce frui pius impiúsque
Possunt eâdem. O! quàm bonitas tua
Diffusa latè ad sidera, & ultimos
Terræ recessus, marginésque
Oceani sua signa profert.
At qui tuo se Numine muniunt,
Cælique gaudent vivere legibus,

Con-

Contra omne diſcrimen tuarum
Præſidio ſcapularum obumbras.
Poſtquam evolârit carcere ſpiritus
Illatus aſtris, nectare diffluet
Inebriatus, & recente
Ambroſiâ relevabit æſtum
De fonte vitæ; qui riguo fluit
Torrente perpes: qui & amabili
In luce ſpectabit perennem
Luminis empyrei architectum.
Benignitatis, tu Pater, interim
Expende munus te venerantibus;
Et calle recto inambulantes
Tuta tuæ tegat umbra dextræ.
Non me ſuperbo calce ſuperbior
Premat tyrannus, nec manus impii
Armata ferrô, me æquitatis
Poſſe viâ putet avocari,
Qui fœda ſpirant crimina, & improbæ
Vitæ tenorem, præcipites ſtygis
Ivêre ad undas: ex amœno
Elyſii cecidêre campo
Primi Parentes; Aligerûm cohors
Dejecta cælo eſt. Tam grave crimen eſt,
Ut illud æther ſuſtinere
Non valeat, licet ære ſuſus.



PSAL-

PSALMUS XXXVI.

Antithesis infelicis impiorum felicitatis, & felicis Justorum miseriæ.

Noli æmulari in malignantibus, &c.

EXempla pravi ne sequere æmuli,
Quem noxiarum cernis in avia
Cupiditatum ferre gressum,
Perque scelus scelus aggravare.
Nec dente clausas exedat æmulus
Livor medullas, si melior malis
Fortuna adulatur, magisque
Deliciis opibusque abundant.
Felicitatis phasirrata lubricæ
Cum Sole natæ, deciduo cadunt
Cum Sole rursus, more fœni,
Quod calidò brevis hora siccat
Accensa Phœbô. Tu, cui vivida
Spes in Tonante est, ne minimùm viâ
Abscede rectâ, quasque servas
Ingenuæ bonitatis artes,
Constans teneto: cœlica dexterâ
Qui liberali præmia dividit,
Terræ tributis te beabit,
Quodque potest capere illecebræ
Mortale pectus cœlitis, in tuas
Fluet medullas. Ne tua gaudia
Extra Tonantem quære: & ille
Munificus tua vota fluxu

Da-

Dabit ſecundo currere ad exitum.
Quocunque tendis, quas tibi ſemitas
In mente fingis, ſive famam,
Sive decus, generisque nomen,
Committe cœlo: tum tibi ſingula
Ad vota current. Qualis ab æquore
Aurora Solem manè ducit,
Et rutilo jubet igne lucem
Uſque ad ſupremum ferre meridiem:
Talis per orbem juſtitiam tuam
Illuſtriori vecta curru
Fama feret, tuam & æquitatem
Aduſque fines Oceani ultimos
Laudabit orbi. Deprime ſubditum
Jugo Tonantis collum, & atrum,
Quod tulerit tibi læva fatum
Fortuna, perfer; votaque Numini
Pias ad aras pende; nec impia,
Ut te monebam, exempla vitæ
Eſſe tuæ patiare legem.
Iram ſeverus comprime; fervidi
Flammas furoris dilue: tramitem
Vita ſceleſtorum, nec ullô
Nequitiæ ingrediare campum
Exemplô adactus. Qui malè conſcium
Abominandis criminibus ſinum
Implent, in æternum ſalutis
Sponte ſuâ exitium laborant.
At qui modeſto non variabilis
Tenore vitæ legibus ætheris

Pa-

Parere docti, hæreditate
Jura soli ad decimos nepotes,
Per sera mittent sæcula. Sustine
Moræ parumper: mox ubi constitit
Sublimior vulgo superbus,
Nulla sui remanebit umbra.
Quod si requiras, quò steterit locô?
Quâ sede plantam fixerit impius?
Vestigiorum pressa nusquam
Ulla dabit tibi signa tellus.
At mansuëtis imperium soli
Hæreditatis nomine ad ultimos
Fluet nepotes, posteriqúe,
Quot superant numeranda lustra,
Ducent sereno pacis in otio.
Tectis dolosus retia fraudibus
Nectit modesto, lividoqúe
Dente fremit, perit & dolore.
At qui supremo despicit æthere
Curas inanes, ridet ad irritas
Frendentis iras, arroganti
Dum propiùs videt imminere
Collo ruinam. Frustrà in acinacem
Manus volabit, vel jaculis suum
Armabit arcum, ut innocentûm
Morte suos satiet furores.
Nam vi, repulsus mucro, retrogradâ
Redibit alto in viscera vulnere
Necem minantis, lethiferqúe
More vitri minuetur arcus.

O quàm

O quàm beatâ eſt ſorte beatior,
Illiberali cûi dederit parum
Fortuna dextrâ, & innocentem
Pauperiem ſatiare parvô !
Longè ille vincit divitis impiam
Felicitatem, cûi melior favet
Fortuna, & aggeſti benignis
Obſequiis famulatur auri.
Potentiorum namque ſuperbiam,
Viresque juſtus comminuet Deus:
Mentémque, robúrque, & ſalutis
Præſidium dabit innocenti.
Jubente cœli Numine Gratiæ
Aurata vitæ ſtamina protrahunt:
Illo jubente, poſterorum
Jura tenet ſeries nepotum:
Seu peſtilentis vis mala toxici
Inceſtet auras, deque cadaverum
Latè per agros mors jacentûm
Congerie malè glorietur:
Seu Mars procellæ turbine pallidum
Involuat orbem, & ſæva manu facem
Bellona jactet, flammeoque
Tela volent cumulata nimbô,
Nil erubeſcet juſtus: ubi impius
Turbatur armis, ipſe, tumultuum
Ignarus; in tranquillitatis
Pace ſuos numerabit annos.
Nec ſi vel agris, vel neget horreis
Ceres tributum, atque exedat oſſibus

Fames vigorem, hunc inquieto
Esuries cruciabit ausu.
At impiorum turba nefaria
Ibit profundo victima Tartaro;
Et celsiore dum videntur
Stare loco, timidúmque vulgus
Calcare fastu, deficientibus
Pompis honorum, mox tenues eunt
Auræ in vapores, nec superstes
Indicium manet ullum honoris.
Immensa iniquo pondere fœnora
Auget scelestus, nec tamen aureo
Est imbre dives, nec fideli
Puncta refert sua Creditori.
Non sic modestus: sit licèt illius
Fortuna pauper, dat sine fœnore,
Dat indigenti liberalis,
Quodque iterum tribuat, fidelis
Crumena præbet. Debita quos juvat
Tributa laudum reddere Numini,
Illis facultates, opesque
Terra dabit, cumulumq; frugum.
At qui supremo per sua crimina
Deo est rebellis, quæ malè congregat,
Pejus peribunt, sordidaque
Pauperie miser opprimetur.
Quemcunque Olympi diligit Arbiter,
Ad astra tuto tramite dirigit,
Firmatque gressus, lubricóque
Impavidum jubet ire calle.

Si

Si fortè gressum præcipitem via
Prærupta fallat, vulneris innocens
Ridebit ipse: nam cadentis
Ipse manum Deus attinebit.
Olim calenti vivida sanguine
Mihi ibat ætas, jam gravioribus
Fatigor annis, induitque
Cana caput nivibus senecta:
Nec destitutum subsidiô Dei
Vidi innocentem, nec genus illius
Stipem rogare, aut ostiatim
Jure famis Cererem invocare.
Dum spem favente in Numine collocat,
Illaque vivit, dat sine fœnore
Vel mutuum, vel liberali
Corde stipem erogat indigenti:
Nec inde legat pauperiem suis
Hæreditatis nomine filiis:
Quin munere astrorum relinquet
Progeniem locupletiorem.
Prudens malignam currere semitam
Cave improborum. Regia tutior
Via est proborum. Hanc si tenebis,
Propitium experiêre cœlum.
Deus tenacem justitiæ virum
Fovet paternis cordis amoribus,
Et candidæ sinceritati
Semper adest comes, & patronus,
Custosque vitæ in plurima sæcula
Sanctè extrahendæ. Sed malè conscios

Injuriarum, verberante
Pœna ferox ſequitur flagello,
Omnémque ſtirpem ſanguinis eruit
Radice ab ima : dum probus interim
Cultórque recti, per nepotes
Stirpe ſuâ genitos tenebit.
Hæreditatis perpetuæ integras
Poſſeſſiones, inviolabili
Per ſtemma curſu defluentes,
Dum facibus radiabit æther;
Et terra ſtabit: fraudibus abſtinens
Amanſque juſti, lege modeſtiæ
Verba ordinabit: quisquis ore
Sermo fluet, ſapiente venâ
Ductus coletur; nec, niſi quod jubent
Vel æquitatis jura, vel integra
Virtus, vel incorrupta fraude
Simplicitas animi loquetur.
Nam corde ſculptam, quam gerit, intimo,
Legem Tonantis non violabili
Cultu veretur: hâc regente
Omnem animi moderatur æſtum;
Nec hoc, vel illo tramite deviat
Intentus æquo. Hinc, quamlibet impius,
Suimet ignarus malignis
Indiciis aliena facta
Cenſere ſuetus, conſtruat artibus
Caſſes doloſis; inſidiis licet
Subſeſſor aſtutus paratis
Innocuum illaqueare tentet;

Labo-

Labore vano ſudat, & irritos
Alit furores. Scilicet impiæ
Molimen artis illi pandet,
Qui ſuperâ ſpeculator arce
Humana cernit: non ſinet impiis
Hærere prædam caſſibus; & ſuô
Cùm pro tribunali ſedebit,
Judiciô meliore cauſam
Aget proborum. Quin animo imperas,
Spe non caducâ fidere Numini?
Brevemque diſcis ſuſtinere
Mente moram, tacitíſque cœlum
Orare votis? ſuſtine: & abſtine
Calle impiorum: te Deus eriget,
Dabitque terram poſſidere,
Pace frui, & pereuntis hoſtis
Spectare funus. Vidi ego nubibus
Seſe inferentem fronte ſuperbiam,
Qualis virentes inter umbras
Culta cedrus Libani ſuperbit.
Reſpexi: & eccum! phaſmata gloriæ
Evanuerunt. Quo ſteterit loco,
Dum quæro, veſtigoque terram,
Nulla ſuæ lego ſigna pompæ.
Ergo sereni pectoris integrum
Serva pudorem, nec minimùm viâ
Cede æquitatis: hinc quadrigis
Pax niveis oritura, finem
Nullum videbit. Grandior imminet
Caſus ſuperbo. Quo ſteterat loco,

Illo peribit, ſuanguiníſque
Jura ſimul trahet in ruinam.
At lætiorem frontis in aream
Vos ſancta juſti admittite gaudia.
Vos Rector orbis, cùm ſeveram
Sors caperet malefida frontem,
Velutq́ue motis fluctibus æquoris
Licentioſo turbine Nereum
Convolvit, ereptos procellæ
Littore conſtituet quieto.
Vos aſtra fido robore munient,
Vaſtoq́ue cingent præſidiò latus,
Vireſq́ue iniquorum retundent,
Voſq́ue ſinu placido fovebunt.
Hæc nempe merces inviolabili
Spei repoſta eſt: ſic Deus obviat
His, qui ſuæ curſum ſalutis
Arbitrio Domini remittunt.



PSALMUS XXXVII.

Deplorat errores ſuos, & ex his nata animæ, corporis, & honoris incommoda, divinamq́ue opem implorat.

Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

REgum Imperator maxime, & ætheris
Soliq́ue Rector, cujus ad unicum
Nictum minantis contremiſcit
Terra, ſtupet mare, & aſtra pallent;
Ne vindicantem ad fulmina porrige
Dextram, ut rebellis ſtulta redarguas
Delicta ſervi; nec ſeverâ
Juſta Themis mea facta lance
Appendat. Eheu! deſine, deſine
Arcu minari, & ſpicula tenſili
Librare nervo: jam profundo
Fixa animo tua tela grande
Fecêre vulnus; quaq́ue manu rotas
Immane telum, me nimis aggravat.
Me vindicantis terror iræ
Vulneribus malè ſauciavit:
Ut parte nullâ vivida ſanitas,
Vigensq́ue robur corporis emicet
Measq́ue culpas cogitanti
Oſſa tremunt labefacta pulchræ
Ignara pacis. Quæ mala perperam
Seductus egi, jam capiti incubant;
Velutq́ue pondus grande, feſſum
Mole premunt graviore dorſum.

 Quis

Quis mentis error ! quæ insipientia
Suasit meorum abscondere vulnerum
Turpes cicatrices ? Venenum,
Cùm tegitur, magis invalescit.
Sic sauciati vulnera pectoris
Sumpsêre vires tempore, & horridô
Fluxêre tabô, defluamque
In saniem putruêre plagæ.
Heu ! quàm profundâ naufragus æquoris
Nato procellâ ; vel potiùs luti
Tenace visco mergor, atque
In scelerum tumulor sepulchro.
Grandis jacentem sarcina deprimit
Adusque abyssum, meque in amabili
Sub mole luctantem perennis
Tristities, gemitusque mordent.
Neque hic malorum terminus ultimus
Fixus malorum est. Quâ violentiâ
Sensus rebellat ? quàm invenustas
Mens scelerum sibi fingit umbras !
Novisque rursum ut cassibus implicet
Vix expeditum pectus, inebriat
Sinum voluptate, & potente
Illecebrâ rapit in ruinam.
Angustiarum cinctus ab agmine
Quacunque curas verso, levaminis
Spes nulla fulget : flere tantùm
Una animi miseri est voluptas.
Injussa vultum lachryma perluit,
Mugitum ab imo carcere pectoris

Vox ducta tollit, more tauri,
Quem lanio trahit ad ſecurim.
Qui perſpicaci lumine ab æthere
Arcana ſpectas abdita mentium,
Anhela tu deſiderantis
Vota vides, gemitusq́ue cordis.
Tu cernis alti quanta pericula
Me naufragantem concutiant maris,
Et cymba jactetur frementis
Hippotadæ, pelagiq́ue ludus.
Tu cernis, ægrè quàm mihi languidi
Pedes trahantur, membraq́ue priſtino
Vigore denudata vires
Deſtituant, oculosq́ue lumen.
Propinquiori quos mihi ſanguine
Natura junxit, qui ſtudiis mihi
Cultum exhibebant, fœderatis
In me odiis coiêre in agmen,
Ad vim parati: quiq́ue meum latus
Propè ambiebant, fœdifragâ procul
Fide ſteterunt, me in ruinam
Præcipitem dare præparati.
Nec ſat dolorum. Quò manus impia
Proferre vires non potuit ſuas,
Calumniarum mole, & auctis
Opprobriis docuêre amaram
Pugnare linguam. Hæc, quìdquid acerbitas
Intoxicati pectoris intimis
Alebat in fibris veneni,
Evomuit, rigidoq́ue dente

Mei momordit nominis inclytam
Famam, atque apertis perfidiæ modis
Ad subruendum me, dolosæ est
Omne genus meditata fraudis.
Tamen silebam surdus ad omnia
Calumniarum tela, ad aculeos
Injuriarum mutus : una
Pressum animum tenuit medela :
Pati, & silere. Hinc, qui mea conscii
Probra audiebant, turpe silentium
Meum arbitrati judicabant
Posse pari bene par referri ;
Calumniarum tela calumniis
Reddenda jactis, verbaque compari
Solvenda merce, injuriosa
Opprobriis referenda probra.
Tamen silebam mutus, & audiens
Non audiebam. Scilicet omnium
Erat levamen, spe secundâ
Magne Deus, tibi credidisse
Causam innocentis : nec precibus meis
Aurem negabis. Tu pater optime,
Fac, ne mea de afflictione
Lætitiam sibi sumat hostis ;
Nec spe superbâ turgidus æmulus
Meis trophæa ex ossibus erigat ;
Nec, dum labante incedo gressu,
Ille meam petulante risu
Sortem sequatur ; perque minacia
Venena linguæ insultet, & arrogans

In me furorem, flammam, & æstum
Mentis agat, rabidumque dentem.
En me, Deorum magne Deus, tuos
Stratum ante vultus: deplue turbidâ
Flagella nube, nil reluctor
Prompta tuos dare terga in ictus.
Nam, quam scelestus promerui, meos
Stat ante vultus pœna; sed impio
Minor reatu. Nam, fatebor,
Supplicii genus omne culpas
Vix expiabit, queîs merui tuâ
Irâ feriri. Si mea contuor
Errata, judex ipse dico:
Grande meum scelus, & Tonantis
Est ira mitis. Viribus interim
Fœcundus hostis crescit, & auctior
Incumbit in meam ruinam,
Deque meo sibi planctu amœnum
Pæana cantat, deque doloribus
Meis cachinnos colligit, & bonis
Malum rependit, semper audax
Ore meum lacerare nomen.
Quæ causa tandem corda tot hostium
Exasperavit? Nempe nefarium
Declino callem, perque sancta
Curro tuæ documenta legis.
Deus modesti tutor, & impii
Terror, favorem si merui tuæ
Benignitatis, tu propinquo
Me miserum comitare passu.

Te namque scutum, te clypeum meæ
Adoro vitæ; tu mihi tutus es
Portus salutis, ambigenti
Certa meis Helice in perîclis.

PSALMUS XXXIIX.

Quærit in adversitate solatium ex consideratione brevis vitæ hominis, & plenæ miseriis.

Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam, &c.

SIc constitutum est: nec variabilem
Mutabo mentem, quod maleperfidâ
Sub sorte dixi, dico rursus:
Quam tenui, stabili tenebo
Tenore legem: fortis, & abstinens
Conviciorum, jurgia perferam,
Silentioque promptus altô
Opprobrii tolerare morsus,
Frænabo linguam. Sic ego nuperâ
Cùm sorte pressus luderer hostibus,
Obmutui; & defensionis
Jura meæ taciturnitate
Pressi modestus, ne temerario
Tentaret ausu erumpere verbulum.
At qualis angustas coactus
In latebras violentiore
Vi sævit ignis; talis in intima
Sede ulcerati pectoris abditus

Sen-

Senſus doloris acriore
Invaluit furibundus æſtu.
Hinc, cùm inquietâ mente revolverem
Meam ipſe ſortem, clauſtra ſilentii
Rupi in querelas, ac olympum
Suſpiciens, lachrymanſque dixi:
O! qui futuras res hominum vides,
Cœli Imperator, quem mihi terminum
Ponis dolorum? quem furori
Fata dabunt inimica finem?
Quouſque vitæ ſtamina protrahent
Parcæ ſorores? unde animô aſſequar,
Duro ſiniſtrorum meatu
Quanta mihi tolleranda reſtent.
Jam ſtringo votum. Scilicet eſt brevis
Menſura vitæ, quam rapido ſugat
Tempus volatu; cûi ſupremum
Quæque dies jaculum minatur.
Labuntur horæ, prætereunt dies,
Menſeſque & anni: vix bene tranſiit
Vigor juventæ, jam ſenilis
Membra tenet labefacta torpor.
Cunis ab ipſis ad tumulum gradu
Imus citato. Si bene pondero
Rerum refluxum, noſtra vita
Eſt nihilum, nihilique imago.
At, ſi fugacis filia temporis
Viventium ætas eſt mera vanitas,
Peritque ceu pictura ſomni,
Dumque fugit, fugat ipſa ſemet;

Cur tam calenti sollicitudinum
Versamur æstu ? totque molestiis
Mentem tenemus involutam,
Atque animum lacerare tantâ
Curâ studemus ? Non satiabili
Avarus æstu convehit ultimo
Ab orbe thesauros, & auri
Divitias operosiore
Labore confert: Sed cui congreget
Nec ipse novit; nec fruitur tamen;
Et fortè luxu dissipatum
In nihilum peregrinus hæres
Devolvet aurum. Non ego fulgidô
Cingi metallô, nec radiantibus
Splendere gemmarum coronis,
Non lapidum precioso honore
Nitere posco. Tu mihi, Numinum
Numen supremum, tu precium mihi
Es omne, thesaurusque, opesque
Divitiæque, & opima gaza.
Tu me mearum retibus exime
Iniquitatum, quæ gravium mihi
Sunt fons malorum, meque vile
Ludibrium populo dederunt.
Nec in querelas mens, licet anxia,
Erupit ullas, arcta silentio
Tenente labra: nam sciebam,
Esse tui documenta amoris
Pœnas vel ipsas. Tu tamen, ò Deus,
Suspende flagrum, & retrahe vindicem

Manum triſulco ab igne, meq́ue
Solve metu ferientis ictûs.
Robuſta dextra eſt, quâ caput in meum
Flagella ſtringis. Cernis, ut artubus
Vigor recedit, defluumq́ue
Deſtituat ſua membra robur?
Hæc pœna noſtro eſt debita crimini:
Languere membris deficientibus,
Araneorum more rete
Texere, quo capiatur aura,
Tota & labori impendere viſcera
Nil profuturo, & pectora inanibus
Turbare figmentis, ſinumq́ue
Vanâ animi lassare curâ.
Aure ergo pronâ ſupplicibus Deus
Attende votis; aſpice lachrymas
Per ora rivo defluentes:
Namq́ue mihi peregrina vita eſt,
Parata quovis temporis aufugi
Migrare puncto, & currere ſemitam,
Quâ turba præceſſit parentûm,
Queîs lacheſis ſua fila rupit.
Deus! rigorem contrahe dexteræ,
Feſſum ut reſumat pectus anhelitum,
Eò priusquam morte tollar,
Unde nequit reditus patere.



PSAL-

PSALMUS XXXIX.

Reddit Deo gratias ſuo adjutori. Orat ad novas calamitates continuari auxilium. Myſticè exponitur de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, & abrogatione legis.

Expectans expectavi Dominum, &c.

PRopè imminentem cùm timor & minæ
Mihi videndam mortis imaginem
Oſtenderent; ſpe plenus aſtris
Auxilium Domini popoſci.
Viſus morari eſt. Hunc lachrymabili
Prece invocavi rurſus: & adfuit
Juvare promptus, nec per auras
Suſtinuit vacua ire vota.
Calumniarum hic fluctibus obrutum,
Lutiqne denſis implicitum vadis
Eduxit, & petræ eminentis
Culmine me ſtatuit, meiſque
Per tuta callem greſſibus obtulit,
Novoque cor ad carmina ſpiritu
Afflavit, & linguam ſonorâ
Laude Dei reſonare juſſit.
Hæc conſpicentur, quotquot ab ultimo
Mundi repoſti margine Cynthium
Vident euntem, gaudeantque
Suave jugum Domini ſubire
Spe roborati. Filius optimæ
Eſt ille ſortis, cûi ſua Numini

Spes

Spes firmè adhæret; quam dolosis
Non Rapiunt peritura technis;
Nec vanitatis ludit imagine
Fallace mundus. Cernimus undique
Miranda, Numen, quæ patrâsti:
Consilio sapiente vincis
Omnem eminentis vim sapientiæ.
Si qnando mentem vellicor, ut tua
Arcana pandam; verba desunt,
Lingua tacet, ratio fatiscit.
Non victimarum te recreat cruor,
Non hostiarum copia publico
Congesta cultu: obediente
Corde capi tua dicta mavis.
Non hostiarum congeries sacris
Urenda flammis, quâ scelerum solet
Contracta labes expiari,
Grata tuos crepat ante vultus.
Tunc: Ecce dixi, nutibus obsequens
Tuis paratum subjicio caput.
Coli reposcis; sed repressi
Obsequiis animi magis, quàm
Ardente ad aras munere thureo,
Sabæque donis. Est tibi legibus
Turgens volumen, quo voluntas
Scripta tua est, hominumque fata;
Primus character, quem liber exhibet,
Tua est voluntas, quam mihi prælegis
Vitâ exprimendam. Nec morabor:
Ecce animi bene præparati

Sub-

Submitto fasces. Quin tua dogmata
Puræque sanctam legis imaginem
Servare, juravi, sinûsque
In media regione scripsi.
Enunciavi per populos tuæ
Famam æquitatis. Nulla licentia
Negata linguæ est, nec facultas
Dempta labris, tua jura mundo
Palàm eloquendi; tu mihi testis es.
Nec corde tantùm sub tacito tuæ
Momenta celavi æquitatis,
Sed labiis, patulæque voci
Frænum resolvi; ac ut fidei tenax,
Promissionum largus, & indigis
Favere promptus dicereris,
Lingua mihi tuba facta laudum
Fuit tuarum nuncia, propalam
Benignitatis per populos tuæ,
Et veritatis grande nomen
Intrepido cecinit canore.
Nunc ergo, Numen, me bonitas tua
Fidesque servet, fallere nescia,
Ne derelinquant, quæ fideles
Semper erant comites mearum
Molestiarum. Cernis! ut undique
Arctis coronant obsidionibus
Culpæque, crudelesque pœnæ
Innumeris numeris adauctæ!
Iniquitatis mancipium, gemo,
Vinctus catenis, & pedibus fero
Im-

Immane pondus vinculorum, &
Nocte meos tnmulante vultus
Spectare pulchrum præpedior diem.
Non tot capilli in tempora defluunt,
Collumque lambunt, quot procellæ
Exitium mihi comminantur.
Et jam propinquæ mortis imagine
Perterritum cor attonitum stupet,
Suâque sede devoluta
Vita sinu parat avolare.
In me paternæ frontis amabilem
Converte Solem, Numen, & obrutum
Periculorum mole, tutâ
Innocuum regione siste.
Ludantur artes, quas struit improbus
Mihi in ruinam: panicus in fugam
Timor revolvat, quos iniqua
Fata juvat mihi præparare.
Pudor ruborem protinus evocet
In ora eorum, qui sibi risibus
Jocisque plaudunt, dum tuentur,
Tanta mihi incubuisse damna.
Illis serenus lætitiæ dies
Semper recurrat, qui fidei tuæ
Se crediderunt, & tenace
Solliciti tibi curâ adhærent:
Tuamque totum magnificentiam
Spargunt per orbem, qui tui amoribus
Castis tenentur, teque adorant
Præsidium dubiæ salutis.

Ego

Ego mearum ſollicitudinum
In te revolvo pondus, & indigus,
Pauperq́ue egeſtatem prementem
Spero tuis relevare donis.
Nam tu ſalutis præſidium meæ es,
Scutum in periclis, murus aheneus
Objectus hoſti. Tu natanti in
Morte animæ propera levamen.

PSALMUS XL.

Extollit pietatem in miſeros. Detegit perfidiam ſimulatæ amicitiæ. Allegoria Chriſti p[illegible]ientis, & reſurgentis.

Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, &c.

SOrtis beato ſidere proditus,
Qui fronte ſuavi, munificâ manu,
Et liberali corde egenis
Dona refert, inopesq́ue ditat.
Cùm nubiloſus triſtitiæ dies,
Iræq́ue tempus venerit ultimæ;
Quam præſtitit benignitatem,
Conſimili pietate largè
Illi rependet Numen, & omnium
Remunerator: ſidera verticem
Ejus tuebuntur, ſuoq́ue
E tumulo reducem vocabunt
Vivas in auras, atq́ue ſuperſtitem
Vitam beato nectare perluent;

Hoſtiq́ue ademptum ultra volantis
Conſtituet jaculi periclum.
Si morbus ægrum torqueat improbus,
Laſſoq́ue vitam vix trahat halitu,
Curator aſſiſtit dolenti,
Et Medici vice molle membris
Stratum parabit. Non ego teſtibus
Utar remotis: ipſe ego nuperæ
Memor procellæ, cùm natarem
Jam pelagi tumulandus undis,
Voce hac querebar: Tu mea vulnerum
Tormenta miti lumine reſpice,
Jubeq́ue me largè fluentis
Participem bonitatis eſſe:
Sum tot malorum, quæ patior, reus
Sum; non negabo: ſed ſcelerum pudet,
Queîs læſa Majeſtas ſuprema eſt,
Atq́ue tui violata jura
Auguſta honoris. Qui mihi per dolos
Funus parabant, Eumenidum meum
Caput furori devovebant:
Quando petet moriturus atram
Stygem? inquiebant: quando ſilentium
Obliviosſo carcere noctium
Nomen, decus, fàmamq́ue & oſſa
Una ſimul tumulabit urna?
His involutum fortè moleſtiis,
Si viſitandi nomine quiſpiam
Subivit ædes, corde riſum,
Ore tulit ſimulante fletum.

Vix

Vix æde gressus extulit, abditum
Plenis venenum faucibus exspuit,
Amplosque per cœtus procace
Evomuit maledicta linguâ.
Hinc per susurros alter in altero
Accendit iras, ac odium mei,
Miscetque turbas, & petulcum
Hinc populum ciet, inde canum
Urbis Senatum in conciliabula;
Queîs sanciuntur scommata, aculei,
Calumniæ, ac artes nocendi,
Opprobria, insidiæ, dolique;
Secumque jactant. Hoc cilium jacens,
Hæc lividorum palpebra luminum,
Putasnè rursum expergefiet
Ad vigiles rediviva curas?
Quin, qui perennis vincula fœderis,
Nodumque pacis non violabilem
Strinxêre mecum, quos eodem
Mensa cibo recreare mecum
Nuper solebat, supposito pede
Me subruebant. Quàm malè fidimus
Fronti explicatæ! Sæpè amicâ
Fronte animi tegitur venenum.
At tu, polorum qui regis atria,
Præsta paterno corde doloribus
Meis levamen, dexteramque
Tende piam, ut rapias parato
Mortis sepulchro. Tunc ego nobili
Gravis trophæo perfidiæ suas

Vices rependam, nec triumphans
Ire ſinam ſcelus impiorum:
A me impetrati hoc indicium tui
Erit favoris, ſi nihil audeant
In me malignantes, ſuiſque
Non cumulent mea damna ſannis.
Videre cœli jam videor mihi
Nutum faventis, meque nocentium
Secerni ab undis, protegique
Aſſiduâ pietate Divûm.
Ergo Iſraëlis tu, Deus, omnium
Laudêre plauſu, quà veniens diem
Aurora pandit, quaque feſſum
Sol fugiens caput abdit undis.
Neque hæc fluentis gloria temporis
Claudatur annis; ſed dum Hyperionem
Spectabit orbis, audiatur
Laude tuâ reſonare. Fiat!



PSAL-

PSALMUS XLI.

Anhelat ab exilio ad æternam patriam, cujus memoriâ lenit suas miserias, & fiduciam erigit.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, &c.

Qualis recepto vulnere saucius
Cervus medelam à lenè fluentibus
Deposcit undis, atque anhelus
Fonte situm relevare currit;
Accensa talis mens mihi flammeo
Amore cœli, te, Deus, anxiis
Affectibus quærit, supraque
Terræ humiles fugitiva tractus,
Ad te Tonantem, roboris auspicem,
Vitæque fontem, remigia explicat
Sinûs amantis. Quando Numen!
Quando tuæ dabitur potiri
Splendore frontis? quando pari vice
Tuo licebit lumine conspici,
Et, æmulâ felicitate
Cœlituum, recreare mentem!
Sic dum volantis vel celeres sequor
Solis quadrigas, vel pigrioribus
Per noctis umbras bobus actam
Specto Hecaten, agor in querelas,
Dilatæ in annos impatiens moræ
Ad te evolandi: nec minùs interim

Sit

Sitim imbre poto lachrymarum,
Esuriem satio dolore.
Sed hoc acerbat vulnera pectoris
Jam jam cadentis, quod petulantior
Insultet hostis: Quâ, inquit, umbrâ?
Quâ latitat Deus ille nocte,
Qui te patronâ destituit manu?
Hæc dum revolvo mente, spei mihi
Scintilla resplendet, tuæque
Me radius bonitatis afflat;
Qui jam propinqui monstrat amabilem
Titanis ortum, quô mihi fas erit,
Migrare mundi de tenebris,
Et superûm radiare luce.
Illuc solutus pondere corporis
Ferar volatu, ac æthereis choris
Conviva mixtus jubilantûm
Deliciis fruar æviternis.
Quid ergo tristis mens mihi nubila
Offundis, imbres ex oculis graves
Datura? deturbasque fidâ
Pulchræ animum statione pacis.
Assurge vivax. Jam tibi blandior
Aurora ridet. Surgo, & amabili,
Si quando, nunc tuas canore
Incipiam resonare laudes.
Nunc mœsta quamvis nubila pectoris
Serenum inumbrent; quæ memorē tamen
Promissa mentem, gloriæque
Pacta monent, animum jacentem

In ſpem reducunt. Unde ubi, patriâ
Exul, ſupinis Hermonii jugis
Hinc cinctus, inde præfluentis,
Et placido ſtrepitu natantis
Jordanis undis clauſus, anhelitu
Suſpiro crebro, teq́ue meis voco
Malis levamen, certus alto
Auxilii venientis axe.
Audace qualis ſidera Nereus
Cùm pulſat undâ, ac in liquidum vocat
Stellas duellum, ſurgit altis
Unda jugis, recidensq́ue vaſtâ
Profundi abyſſo mergitur, & novis
Secundam abyſſum fluctibus inſtruit:
Talis procellarum tuarum
Turbo meo capiti minatus
Longè remotum me tenet ætheris,
Quem quæro, portu; ac undiq́ue fluctibus
Diverberatum me in profundam
Præcipitat violentus alti
Luctûs abyſſum: nec tamen ardua
Me ſpes relinquit. Sive dies polos
Flammis inundet, ſive Iberæ
Merſus aquæ tumulo diurnos
Extinquat ignes, me pietas tua
Laudum ſonora in carmina ſuſcitat,
Et vota dictat. Hinc frequente
Voce tui memor: O meorum
Exclamo, Numen, quæ mihi digeris,
Spes gaudiorum? præſidium meæ

Salutis ! affectum in paternum
Explicitas mihi pande palmas.
Cur ergo tristi me pateris premi
Spinâ doloris ? nec memorem mei
Ostendis affectum , æmulorum
Dum rabies inimica cudit
In me sagitttas ; quoq; potest dolô
In innocentem præcipiti studet
Letho involare. Heu ! quàm pavendo
Ossa gelu glaciata torpent
Horrore probri , quô petulantium
Me turba vilis verberat hostium ,
Phœboq; cum nascente primùm ,
Cumq; iterum moriente sannis
Me consalutat : Dicito , ubi est DEUS ,
Quem frustrà adoras ? sic mihi singulum
Diem auspicantur ; singulumq;
Probra , joci , maledicta claudunt.
Sed cur vigorem , mens mea,pristinum
Roburq; ponis ? corq; doloribus
Afflicta mergis ? nec levamen
Mœstitiæ superesse credis ?
Confide Cœlo : jam tibi promicat
Aurora felix , quâ liceat DEUM
Tuæ salutis conditorem
In solitum revocare carmen.

PSALMUS XLII.

Fiduciâ in DEUM fretus, & eripi malis ſperat, & ſacrificium laudis illi offerre deſiderat.

Judica me DEUS, & diſcerne cauſam meam, &c.

DEUS latentis pectoris arbiter,
Et juſte Judex, tu meritum meæ
Expende cauſæ, & quidquid egi
Ad Themidis revoca bilancem.
Me de reorum conciliabulis,
Plebiſq; iniquæ cœtibus erue;
Et fraudis immunem latente
Caſſe doli prohibe implicari.
Tu namq; ſcutum, tu mihi pectoris
Munimen omne es. Cur latere à meo
Procul recedis? cur dolentem
Ire ſinis? gemituq; laſſum
Inter cadentûm denſa volumina
Calumniarum, fulminaq; hoſtium
Deſævientûm me relinquis
Præſidiô malè deſtitutum?
Emitte tandem (quod toties precor)
Et lucis imbrem, quô videam dolos,
Et veritatem, quæ viarum
Ambiguo mihi calle Dux ſit;
Tuiq; certo tramite ad editam
Deducat arcem Numinis: ut piis

Affu-

Affuſus aris, te virentis
Delicium venerer juventæ.
Tunc igne rurſum ſpiritus entheo
In metra ſurget; tunc modulamine
Novo canorus per tuarum
Ibo gradus Cythariſta laudum:
Dicamq; mecum: Cur mihi nubilus
Mœror patentem frontis in aream
Irrumpit, & morſu tenace
Corda vorax dolor exacerbat?
Frontis ſerenum lætior explica
Tonante nixus: jam tibi barbitus
In carmen ibit; jam licebit
Læta pio dare vota cœlo.

PSALMUS XLIII.

Revocat DEO in memoriam beneficia, quæ Patribus contulit, & implorat paria calamitatibus ſui ſæculi.

DEUS auribus noſtris audivimus, Patres noſtri, &c.

NOſtras ad aures fama prioribus
Allata ab annis per memores Avûm
Patrumq; linguas elocuta
Magna tuæ, DEUS, ad nepotes
Exempla ſparſit munificentiæ,
Opiſq; promptæ, ſi qua neceſſitas
Pulſaret afflictos, graviq;
Sors premeret violenta fato.

Gentes ſuperbas, exitialibus
Flammis ruentes, inſuperabilis
Virtute dextræ contudiſti,
Et patriæ laribus furorem
Exterminâſti, & pacificâ Patres
Terrâ locâſti. Marte equidem ſuo,
Sed imbecillo, reſtiterunt,
Nec rabiem valuêre fractâ
Domare dextrâ. Tu, DEUS, arduam
Manum extuliſti: tu tribulantium
Minas repreſſiſti: favore
Victa tuo poſuit feroces
Bellona flammas. Sic placuit tibi
Teſtari amorem. Sed nequedum tua
Laſſata virtus; nec poteſtas
Immemorem ſinit eſſe noſtri.
Adhuc es idem, qui Patribus piam
Opem dediſti, Rex meus, & DEUS;
Cujus benignô inter tot hoſtes
Auxiliô genus Iſraëlis
Victorioſum ſemper ab alea
Martis redivit. Spes mihi ſuggerit
Hinc firma robur: qualis altâ
Taurus agit leve ſtramen irâ:
Sic vile ventis ludibrium dabo,
Quos hoſtis in me commovet impetus,
Tuæq; virtutis vigore
Omne teram pedibus frementis
Molimen hoſtis. Non ego ſpem mei
Arcûs, vel enſis fulcio robore:

Nec

Nec de Tyrannorum procella
Arma mihi referent ſalutem.
Tu grande Numen, tu metuentibus
Hoſtile ferrum, jamq́; cadentibus
Manum tetendiſti, fugâq́;
Præcipiti metuenda caſtra
Exterminâſti. Huc ergo revertimur:
Hìc noſtra ſedem gloria propriam
Sibi locavit: huc meorum
Sponte meat rota gaudiorum.
Sed quò revolvor! Fallor? an horridâ
Nos fronte ſpectas; nec patrios ſinis
Subire vultus; pœnitetq́;
Te comitem induiſſe noſtris
In bella turmis? ſcilicet improbis
Nos vile probrum deſeris hoſtibus,
Retroq́; verſos perſequentûm
Nos manibus ſpolium relinquis.
Qualis balantûm grex ovium innocens
Crudum ad macellum victima cogitur,
Tales furori ſævientûm
Abjicimur, tibi chara quondam
Gens Iſraëlis. Quos miſerabilis
Lethi ſepulchro fortè ſuperſtites
Laſſata ſervavit tyrannis,
Hos pretio leviore ſcrutis
Vænum dediſti: nec prohibes jocis
Agi protervæ plebis, & obviis
Vulgi cachinnis vapulare, &
Ludibrio popularis iræ

Proſtare metam. Hinc frontis in aream
Seſe verecundus pudor ingerit,
Tegitq; vultum, liberoq;
Ore diem vetat intueri.
Tot hinc, & illinc hoſtibus obruti,
Tot derelicti, grex miſer, hoſtibus
Aut proterendi, aut victimandi;
Nec tamen immemores tuorum
Sol vidit unquam vivere fœderum,
Sanctæq; legis: tramite nec tuo
Avertimus pedem; nec ulla
Fixum animis valuit Tonantem
Nos perſequentûm copia vellere.
Quamvis ab omni parte minacior
Urgeret hoſtis, & ſevera
Ante oculos Libitina ſtaret;
Et mœſta duræ pectora tædium
Vitæ teneret: nec tamen avio
Cultu peregrinos Deorum
Ante focos manus impiata
Thuris cremavit munera; nec genu
Unquam recurvo Numina gentium
Vocata ad aras; nec profana
Fictilibus data vota Divis.
Sed qui receſſus pectoris abditos
Vides acuto lumine, quem nihil
Poteſt latere, providente
Iſta oculo fugis intueri?
Te propter annos ducimus, exule
Pace, inquietos; nec vacuus dies

Mo-

Molestiâ affulget; velutq;
Grex ovium trahimur, macello
Jam destinati. Quid simulas adhuc
DEUS soporem? Surge, nec impio
Nos desere hosti; sed suprema
Fata manu celeri anteverte.
Quid usq; frontem vertis, & arduo
Vultu minaris? nil tibi deditæ
Est cura turbæ? nil paternum
Nostra movet laniena pectus?
Aspersa multo pulvere corpora,
Viresq; fractas mitior aspice:
Et strata terrâ attolle membra,
Et pluvias oculis cadentes
Solare, Numen. Surge; fer obviam
Mœstis salutem; nosq; tyrannicâ
Crudelitate solve, nostræ
Præsidium, columenq; vitæ.



PSALMUS XLIV.

Epithalamion Chriſti & Eccleſiæ, quò laudatur Sponſus à dotibus ſuis, & Sponſa ab ornamentis.

Eructavit cor meum verbum bonum, &c.

DIviniori quis mihi pectora
Afflavit aurâ? quis furor, entheus
Sacrato ab igne, verba ſolvit,
Verba metrum paritura Regi?
Amœnam in oden inſolito impetu
It lingua velox, æmula pectoris
Affectui, ut nec prævolantem
Scriba levis properante pennâ
Æquare poſſit. Tu facilem mihi
Ad plectra muſam, Sponſe, vocas. Tui
Quæ forma vultûs? quæ ſub aſtris
Omne hominum decus antecellit.
Tenor modeſtus frontis eburneo
Sedet theatro, gratia luminum
Decertat aſtris, labra dulci
Melle fluunt, roſeumq; malas
Diſtinguit oſtrum; cûi Charites favent,
Non deſituris officiis ſuam
Curam locaturæ, & perenni
Rore poli, radiiſq; Solis
Culturæ amictus. Hoc ſuper unicum eſt:
Accinge ferrô terrificum latus
Heros pavende; & Marte victor
Per medios ruiturus hoſtes,

Con-

Confunde cædes. Nec populis minùs
Amande Princeps, exere gratiam
Vultûs amœni, quâ tuorum
Corda trahas, animosq́; stringas,
Et obsequentûm pectora civium
Dulci illecebrâ capta coërceas;
Felice sic cursu meabit
Temperies adamata regni.
Tecum gubernent Imperii lupos
Trinæ sorores: Candida Veritas,
Et Æquitas justâ bilance,
Et bonitas studiosa miti
Regnare dextrâ. Sic tibi gloria
Constans virebit: sic tua dextera
Gentes per ignotas potentis
Mira dabit documenta sceptri:
Sic & tuorum corda rebellium
Figes acutâ cuspide arundinis,
Cogesq́; gentes jam subactas
Marte tuo genua osculari.
Hinc nec cadentis terminus ultimus
Solis, nec ævi labilis impetus
Dimensus annos imperantis
Jus poterit temerare sceptri,
Quod æquitatis legibus ordinas,
Et lenitatis nectare temperas;
Benignus idem, idem severus
Sancta tegis, scelerata frangis:
Jus æquitatis diligis, impiæ
Iniquitatis, criminum & omnium

Æternus hoſtis. Hinc Coævos
Ante tuos, DEUS ad potentis
Te ſceptra regni ſuſtulit unguine
Sacro perunctum. Quid memorem tuâ
E veſte ſpirantes Sabæûm,
Atq; Arabum, Cilicumq; meſſes?
Auramq; odoris, quam Caſiæ tibi
Cortex adhalat? quidvè Opobalſama,
Myrrhæq; ſtillas lachrymantis?
Quid memorem laqueare eburno
Labore ridens? quid Babylonico
Saxo, vel auro fulta palatia,
Ubi puellæ, ſtirpe Regum
Progenitæ, famulante curâ
Tibi miniſtrant? At mihi gratior
Regina ſeſe vultibus ingerit:
Regina ſublimis theatro,
Parq; premens ſolium, paremq;
Sortita honorem, quam ſtupeo tibi
Dextræ aſſidentem. Prô Superi! Deæ
Quæ pompa regnô digna! quantus
Oris honor, ſpecieſq: vultûs!
Auro capillus certat, amabili
Fluctu flagellans terga; ſinus tegit
Congeſta gemmarum procella,
Invidiam paritura ſoli.
Per defluentis ſyrmata palii
Auri ſonantis bractea multiplex,
Colorq; multus innocente
Scenâ oculos animoſq; ludit.

Huc

Huc regia aures progenies, tuos
Huc verte vultus; nec mea, negligens,
Sinum in profundum admitte verba,
Quæ tacitam tibi fundo in aurem.
Lares paternos, tecta domestica.
Matrem, patremq;, & vincula sanguinis
Obliviosâ conde nube,
Nec memorem patiare mentem
Versare amicos. Tunc tibi Regij
Augusta Sponsi gratia amabilem
Vultum explicabit; gestietq;
Tota oculis animoq; mergi
In expolitæ frontis imagine.
Huic redde amores: hujus amabile.
Verere Numen: nec minore
Ille tuos cumulare parcus
Amore amores, de procul absita
Tyri vocabit margine filius
Et gemmâ, & aurô, & unionum
Multiplici radio micantem
Solem æmulantes, quæ tua supplices
Mandata adorent. Has opulentior
Caterva Phœnicum, & Canopus
Dives opum populus sequetur
Donis onustus; quem videor tuo
Videre honori flectere poplitem,
Frontemq; adorare; & decoram
In speciem tibi ferre, quidquid
Vel ructat Indus, vel Babylonia
Illustre ab arte est, aut Achemænidæ

Legunt tributi, vel Mycene
Larga ſinu locuplete ſundit.
Quamquam exterorum nil decorum indiga
Tuæ venuſtas frontis, ab intima
Diffuſa cordis ſede, ab auri
Obſequio, ſtibijq; cultu
Nil augeatur; gratior attamen
Seſe intuentûm aſpectibus inferet,
Si limbus auro, torque collum,
Merce ſinus precioſâ Erythræ
Paſcat videntem. Talis amabili
Occurre Sponſo: Te comitabitur
Cohors puellarum, apparatûs
Inſolito radiata cultu.
Tecumq; amantis proxima dexteræ
Sponſi aſſidebit compoſito ordine:
Fremenſq; plauſu, barbitiſq;
Lætitiæ dabit acroama:
Tandemq; & unà Regia limina
Templi ſubibit. Nec tibi deerit
Fœcundus ordo filiorum, &
Progenies cumulanda ſceptris,
Quam terra adoret, quam ſibi gaudeat
Præeſſe mundus, nec fugiat regi
Nutu jubentis, leniumq;
Imperium tolerare Regum.
In his ſuperſtes Fama, tui memor
Perennè vivet; quaq; meat dies
Ventura latè te patenti
Poſteritas celebrabit orbi.

PSAL-

PSALMUS XLV.

Securitas civitatis DEI, quæ illius protectione defenditur.

DEUS noster refugium, & virtus, &c.

DEUS suorum est turris, aheneis
Munita portis, quam metuat propè
Bellona tentare, & furente
Mars fugiat violare ferro.
Hìc tutum asylum confugientibus,
Salusq́; certa est, quamlibet hostica
In comminantes ira fluctus,
Et rabies eat in procellas,
Hinc nulla nobis intrepidam subit
Formido mentem; sive boatibus
Immugiat tellus, suisq́;
Cardinibus labefacta nutet;
Cadantq́; montes, & tumidum suis
Procul repellant littoribus mare,
Novisq́; libertatem aquarum
Limitibus redigant in arctum:
Sive evolutis æquora fluctibus
Suis arenis longiùs exeant,
Camposq́;, pugnantesq́; rupes
Indomito fremitu flagellent.
Nam civitatis, quam DEUS incolit
Sibi dicatam, mœnia limpido
Errore circumductus ambit,
Et vitreo exhilerat natatu

Tran-

Tranquillus amnis ; nec ſinit otia
Turbari amœnæ ſedis ab exteræ
Plebis tumultu ; nec ſacrati
Jura loci ſtrepitu profano
Contaminari. Quin mediô DEUS
Centrô quieſcit : quis violabili
Hìc inſtet auſu ? ſemper una
Cura DEI eſt, vigilare noſtræ
Vitæ ſaluti : dumq; procul videt
Sortem minari, & denſa pericula
Adferre in armis ; prævenire
Auxiliis malè ſtructa damna.
Gentes ſuperbas (haud equidem ambigo)
Denſè ruentûm fluctibus obruet
Periculorum ; motibuſq;
Sors tragicis inimica volvet :
Regna in ruinam pendula proximum
Caſum pavebunt : vociferatio,
Luctus, dolorq; haud profuturis
Ad Superos lachrymis ferentur.
At non eodem turbinis impetu
Res noſtra agetur. Nos patriis DEUS
Defendit alis, aggeremq;
Se validum ſtatuit ſalutis.
Adeſte : quæ fas non fuit hactenus,
Portenta rerum cernite, quêis DEUS
Implevit orbem, & ſe ſtupendum
Cœli oculis hominumq; præſtat.
Sævi procellas Martis ad ultima
Mundi cadentis littora diſpulit ;

Arcuſ-

Arcusq; , & hastas , & cruentis
Funeribus satiata tela ,
Nimbumq; ferri missilis obviâ
Protrivit irâ ; scutaq; & ægides ,
Lassi Cyclopis apparatum ,
Exiguum in cinerem redegit.
Huc evocamur. Demite (sic ait
Rex ipse noster) demite vultibus
Nubes , & intentis faventem
Vestrum oculis Dominum videte ;
Meumq; robur discite. Gentibus
Ego imperabo ; quaq; patet solum ,
Salumq; , Solq; , & astra , honoris
Pulchra mei statuam trophæa.
Huc ergo nostræ , non timidi , anchoram
Spei locemus : nos patrijs DEUS
Defendit alis , aggeremq;
Se validum statuit salutis.

PSALMUS XLVI.

Canit Epinicion Christo in Cœlum ascendenti, & victoriam Fidei per universum orbem sparsæ.

Omnes gentes plaudite manibus, &c.

QUascunq; gentes Sol habitabili
In orbe lustrat, seu veniat recens
Undis Erythræ, seu senectâ
Languidus Hesperio quadrigas

Con-

Condat ſepulchrô. Surgite, ſurgite, &
Tangi profano pollice neſciam
Chelym excitate, Numiniſq;
In cytharam revocate laudes,
Lætiſq; cœlum implete canoribus.
Huic Solis ultra quadrijuges equos,
Ultraque ſtellas, in ſupremo
Ætherei penetrali Olympi
Sedem locavit Gloria, Numini
Coæva; flammas unde tonitruum
Deſpectat, ardentiq; terret
Regna foco, pavidoſq; pulſat
Fragore montes. Ille, rebellium
Cervice fractâ, protulit Imperî
Tributa noſtri, perfidaſq;
Sub pedibus dedit ire gentes
Hæreditatis (ſic genus Iſaci
Dilexit olim) nomine nos ſuum
Vocavit in regnum, deditq;
Sceptra ſui populi tenere.
Jam nunc curuli nube ſupervolat
Terraſq; & undas, & liquidas retrò
Relinquit auras, ac ſupremam
Empyrei tenet orbis arcem.
Illum ſequuntur ponè frementium
Plauſus Ephœborum, & comitum frequens
Caterua ſiſtris, tympaniſq;
Et lituis reſalutat auras.
Expergefactos, jam ſemel, unguibus
Vrgete nervos inclyta Cœlitûm

Plaudentium turba! atq; amœnâ,
Quà graditur, comitata buxô
Omnem ſonoris cantibus increpa
Cœli coronam. Jam Deus imperat,
Dictatq; leges, ſubditumq;
Imperio ſapiente mundum
Rex frænat unus: jam Fidei micat
Toto orbe ſplendor. Rurſus in æmulum
Certamen ite expergefacti
In modulos Cythariſtæ olympi.
Hic (ſi futuri conſcia mens mihi
Non falſa narrat) ſceptra potentiæ
Protendet extremis ab Indis
Solis ad Heſperium cubile.
Hûic colla ſubdent ſub juga Principes,
Nec ante flexum flectere poplitem
Gentes amabunt, & verendi
Sacra focis dare thura Regis.
Quà ſol meabit, Relligio ſua
Vexilla tollet non violabili
Firmata vi, & paſſim levabit
Sancta fides ſuper aſtra Reges.



PSALMUS XLVII.

Deſcribitur Myſtica Hieroſolyma, ſeu Eccleſia, cujus Victoriæ ex antiquis vaticinijs prædicuntur.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, &c.

QUà liberali prætereuntibus
Jordanis undis alluit ardui
Sionis arces, & modeſto
Templa Dei alloquitur ſuſurro,
Urbs eſt Tonanti dedita, quam ſuo
Legit colendam Numine, quam replet
Auguſta maieſtas honore;
Quæq; Dei memorare laudes
Aſſueta, ſemper, non imitabili
Canore, ſancto encomia nomini,
Plauſusq; concinnat, ſacroq;
Mira Dei canit ore facta
Hæc arduarum culmina turrium,
Plaudente terrâ, nubibus inſerit,
Ædesq; deſpectat minores
Digna Deo domus inquilino.
Quâ parte ad Arcton ſpectat, amœnitas
Pulchro theatrum digerit ordine;
Feſtiva quô ludit juventus,
Atq; oculos, animosq; paſcit.
At urbis intra mœnia, Numinis
Eſt prompta ſemper dextra, potentibus
Armata telis, quæ tuetur
Præſidiô bene præparatô

Et templa, & ædes. Heu! quoties furor
Huc congregavit Martia fulmina,
Pactâq; conjuratione
Mixtæ acies fremuêre bellô:
Quæ servitutis vincula Civibus,
Ferrum, catenas, vulnera, funera
Cladem q; ! probrosamq; stragem, &
Diluvio cumulata secum
Fata adferebant. Sed cecidit suis
Vis fracta damnis: attonitus stupor
Ligavit armorum procellam,
Et timidæ obriguêre dextræ.
Successit alto in pectora vulnere
Sensus pudendi dedecoris; suâ
Tam gloriosi Martis irâ
Mœnia non potuisse frangi.
Mox turba vilis præcipiti gradu
Conversa, retrò signa fugacium
Egit catervarum, & repulso
Anteijt sua fata cursu.
Quin hic ab Indis excita portubus
Furore Tharsis constitit, & Thetis
Audita mugitu pavendo
Excidium, cineremq; avito
Templo minari: at tu, Deus, ultimô
Antrò latentes Æoliæ, Notos
Austrosq;, Caurosq; evocâsti,
Et fremitu lacerare pontum
Gravi imperâsti. Scilicet obvijs
Luctata classis fluctibus, aut perît

Undis sepulta, aut dissipata est
Æolidum violento ab æstu.
Hæc, quæ parentum fama nepotibus
Narravit olim, nos quoq; vidimus
Sionis hæredes; sequensq;
Posteritas iterum Nepoti
Suo loquetur. Namq; sioniæ
Fundamen arcis non violabili
Stat rupe fixum; quam perenni
Lege Deus jubet ire in ævum.
Hac arce nobis divite flumina
Fluxêre venâ munificentiæ,
Pijq; sensûs, quô paternum
In populos studium fateris,
Rex magne Cœli. Hinc & tibi nominis
It fama magni, & gloria ad ultimos
Mundi recessus, ultra utrumq;
Solis iter, pelagiq; fines.
Tuæ æquitatis dextera fontibus
Hìc cudit iras: hìc eadem manus
Adornat amplâ largitate
Promeritis referenda dona.
Hæc cernit, & se in gaudia lætior
Sion resoluit! quem lepidô jocô
Implet juventus, & jocantem
Festa jocis resalutat Echo.
Sionis & vos ite per ambitum,
Lustrate fossas, mœnia, & aggeres,
Et valla circumducta, & astris
Contiguas numerate turres.

Signa-

Signate robur non ſuperabile,
Situmq́; & artem, & fortia conſpici
Suggeſta; centenisq́; mundo
Ordinibus veneranda tecta:
Ipſiq́; ſeris dicite poſteris:
Has Inquilinus conſtituit ſuo
Ædes honori; hic æviternùm
Jura dabit Deus Iſraëli.

PSALMUS XLVIII.

Inanis in congregandis opibus hominum cura, qui theſaurizant ſibi theſauros in die iræ.

Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, &c.

AUdite gentes, regnaq́; frigido
Septentrioni ſubdita, & igneo
Afflata Sirij calore,
Quamq́; oculô juvenis, ſenexq́;
Ab axe luſtrat progeniem dies:
Audite; ſeu quos divite copiâ
Arridet aurum; quosq́; Erythra
Obſequiô côlit unionum:
Seu quos avaræ ſortis iniquitas
Vili parentum ſanguine proditos
Damnavit obſcurum ad mapale, &
Pauperiem dedit inquilinam:
Audite: prodam, quæ ſapientia
Mihi locuta eſt, quæq́; animo indidit
Subli-

Sublimore ſenſu olympus,
Et Superi ratione firmant.
Commota Phocis ſuggerit hæc mihi
Cantanda metrô oracula poſteris.
Jam Plectra ſponte, vix prehenſa,
Subſiliunt animare chordas.
Quid congregandis divitis Indiæ
Gazis, & auri congerie meas
Abſumo curas? quiduè caſſa
Vota traho per imaginatam
Felicitatem? Deſinet improbi
Sitis metalli, ſollicitudinum
Fœcunda mater, cùm ſupremus
Noſtra dies revocabit acta
Dei ad tribunal. Quid juvat anxio
Sortem fugacem perſequi anhelitu?
Extrema ſi imprudens eodem
Aſſequeris tua fata curſu?
Iniquitatis currere lubricum
Ni ceſſo callem, noctis in horrida
Caligine infauſtum laborem
Interitu malè terminabo.
O mentis expers! quisquis amabiles
Sirenas audit, vel magico malo
Pectus recludit! vult perire,
Qui ſtolidum ad peritura curſum
Anhelus urget. Prætereuntium
Caduca rerum mangnificentia,
Opes, honores, gloriæq;
More levis rapiuntur auræ,

Sunt ſpes inanes, quas homini applicas
Nil profuturo : nec tibi, ſi fera
Neceſſitas inſtet, rogatus
Frater opem feret, aut amatam
Malo medelam. Quin prece, ſi Deum
Flexiſſe poſſit ſupplice, ne Atropos
Stamen recidat ; nulla curvo
Vota genu, manibusq; paſſis
Ad aſtra mittet : nec precium dabit
Tuæ ſalutis. Non remeabili
Viâ eſt eundum ; nec labore
(Quidquid agas) valet impediri
Vis certa fati. Nemo perennia
Attinget annis ſæcula : diffluet,
Quocunq; cenſeris beatus :
Inſipiens ſapiensq; fato
Cadent eodem. Pompa ſuperbiæ,
udore multo parta opulentia,
Horti, laresq;, & ampla tecta
Mygdonio fabricata luxu,
rcesq; & Urbes, & patrimonia,
ecesſitatis lege, ſequentibus
Sunt deferenda ; quæ vel hoſtis
Diripiet, vel iniquus hæres
raude occupabit ; nec memor ampliùs
ui, nepoti dividet. Interim
Oblivioſo te ſepulchro-
-Invincibilis Libitina condet :
nil ſuperſtes, præter inutilem
mbram relinques nominis improbi,

O cæcitas humana! Divum
Quem similem sibi dignitate
Numen creavit, quem sapientiâ
Dotavit augustâ; arbitrij cui
Concessus usus expeditus,
Quem dominũ est veneratus orbis,
Sublimitatis non memor ampliùs
Suæ, sereni lumina pectoris
Extinxit, & mentem caducâ
Mersit humo, pecudumq; more
Cupiditatum flexus in avia
Se belluinis moribus induit,
Et appetitu dissoluto,
Quà libuit, sine lege abivit.
Hanc & sequentûm linea posterûm
Viam frequentant: & licet obijce
Periculorum & hinc, & inde
Septa, tamen quia trita Patrum
Vestigijs est, & memores adhuc
Notæ supersunt, posteritas sequens
Et laudat, & gaudens eâdem
Interitum sibi stulta quærit:
Et assequetur. Nam veluti pecus
Virente ab herba sponte ruit suâ
Dirum catervatim ad macellum,
Lethiferô jugulanda cultrô:
Sic post procaci fræna licentiæ
Laxata, post & delicijs brevem
Vitam peractam, gestientes
Ad stygias rapiuntur Undas

Pu-

Pudenda mortis victima, & inferis
Torrenda vivi ſulphuris ignibus,
Cûi nullus ætatis futuræ
Margo queat poſuiſſe finem.
Ad hæc, videbunt, quos malè preſſerant,
Beatiori ſorte domeſticis
Dei aggregatos ; audientq;
Supplicium ſibi fulminantes.
Tunc nec clientûm culta frequentia,
Nec liberorum, nec famulantium
Collecta vis, nec quæ coactis
Arca gemit cumulata gazis ,
Dabunt levamen ; præſidium in quibus
Et ſpem locârant. Scilicet improbæ
Spes interibunt ; & cadentûm
Omne decus tineâ exedetur.
At me , ſupremô cùm imperiô Deus
Eliberabit carcere corporis,
Intaminatum mergi Averni
Sulphureis prohibebit undis,
Suoq; lætum ſuſcipiet ſinu
Hinc, ſi potentem videris editô
Locô ſedere, & ſolis inſtar
Multiplici radiare gemmâ,
Cohorte cingi mille clientium,
Sudare in auro, collaq; Civium
Calcare ; ne quidquam expaveſce :
In tumulum à Lacheſi vocatus
Circumfluentis folle ſuperbiæ
Deveſtietur, gloria corruet,

Nec in profundum devocatus
Divitijs cumulabit orcum.
Immerſa rebus vita fugacibus,
Avara laudis, ſe popularium
Saginat applauſu, & beatos
Ipſa dies ſibi gratulatur.
Si blandientûm ſuaviloquentiâ
Titillat aures turba clientium,
Laudat colentes ſe, pariq;
Illita nectare verba reddit.
Hinc, quò parentum gloria concidit,
Illuc trahetur, Quos imitatus eſt
Tenore vitæ, hos aſſequetur
Fine pari, paribusq; pœnis.
Non purus illi Juſtitiæ dies,
Nec nubis expers ſol ſapientiæ
Lucebit unquam; ſed ſepultus
Nocte ſtygis gemet æviternùm.
O ſtulta gens mortalium, & immemos,
Quâ ſede honoris te Deus extulit!
Quò decidiſti? belluinæ
Dum illicium ſequeris voluptæ!
Humanitatis degener indole
Te belluinis moribus induis:
Quocunq; te vocat libido,
Sponte ruis rationis expers.

PSALMUS XLIX.

Prophetia de glorioſo, manifeſto, & terribili adventu Chriſti ad extremum judicium

Deus Deorum, Dominus locutus eſt, &c.

MOnarcha Regum, Rex dominantium,
Cûi terra faſces, ſceptraq́; ſubijcit;
Severus ultor ad tribunal
Omne hominum genus evocabit.
Vocem ſtupebunt ortus, & occidens
Altô Sionis deciduam jugô,
In quo videndam Judicantis
Se ſpecies manifeſta ſiſtet.
Non ille, ut olim, vilis ab abdito
Prodibit antro; ſed venerabili
In luce formidandus, acres
Ex oculis jaculatus ignes.
Nec jam ſilebit mutus ad impiæ
Delicta gentis; ſed ſcelera abdita
In publicum ſolem evocabit,
Et valido tonitru increpabit.
Frontem anteibit flamma voracibus
Undans procellis, atq́; avido omnia
Involvet igni, fumeâq́;
Nube minax tumulabit orbem.
Circùm ſonabunt fulmina vindice
Eliſa dextrâ, murmura nubium,
Mugitus auræ, turbinumq́;
Vis decimis cumulata ventis.

Tum pura cœli ſidera, & aureas
Phœbi quadrigas, Oceanum ultimum,
Terramq́; , teſtes advocabit,
Acta fori ut videant futuri.
Vos primi Ephœbi (dicet) oblympicæ
Aulæ miniſtri, vos mihi ſpiritus
Cœlò advocate , quos perennis
Aula Dei gremio recepit.
Vos, fida terræ viſcera, reddite
Manes ſepultos : Vos lituô, Angeli,
Quocunq́; degentem ſub axe
Huc populum mihi congregate ;
Qui pacta mecum non violabili
Fide tuetur fœdera , & hoſtijs
Mihi miniſtrat, cui verenda
Sacrificis calet ara flammis.
Obtemperabunt ſidera juſſibus
Dei imperantis, promptaq́; nutui
Terra obſequetur ; quaq́; mundi
Margo patet , merita æquitatis
Portenta ſpargent. Tollite lumina,
Aureſq́; (dicent) cernite Judicem :
Hic ſolus æquâ lance librat
Cœlituumq́; , hominumq́; facta.
At ille : pronis auribus excipe
Gens Iſraëlis, quæ loquor, inquiet ;
Auctoritatem agnoſce, vimq́; ,
Meq́; tuum venerare Numen.
Non exprobrabo ſacrificas focis
Vacâſſe acerras, vel mihi victimas

Parcè immolatas: nam Sabæis
Muneribus mea ſæpè templa
Fumâſſe vidi, merſaq; plurimo
Tot victimarum ſanguine ſolvere
Delubra honorem, ac obſequentes
In pecudes micuiſſe cultrum.
Sed hæc fideles non reputo mei
Teſtes honoris: non ego cæduis
Delector armentis; nec hircos,
Nec vitulos, nec oves, bouesque
Tuo immolari de grege poſtulo.
Non ſum tam egenus. Quod pecudũ tuũ ad
Præſepe mugit, quodq; opimis
In ſtabulis alis ad ſaginam,
Meum eſt: ferarum per juga montium
Quidquid vagatur, vel nemorum latet
Virente in umbra, perq; campos
Herbiferos alimenta quærit,
Meum eſt: quod alâ remige navigat
Puras per auras ætheris, editos
Locatq; nidos vel cavatâ
Rupe, vel arboreis in umbris,
Meum eſt: quæ in agris flauet, & aureis
Culmis jocanti ſe zephyro exhibet
Ariſta ludum, ſeq; curvat
In facilem reſupina falcem,
Mea eſt. An ardor fortè famelicus
Me tantus uret, cogar ut à tua
Stipem rogare largitate,
Quâ rabies famis edometur?

Quodcunq; Phoebus deſpicit æthere,
Quodcunq; tellus continet ambitu,
Quodcunq; pontum ſcindit, omni
Me dominum obſequio veretur.
Quid arbitraris ? num mihi dapſilem
Menſam Juvencus pinguior inſtruet ?
Aut ſanguinem hirci poſtulabo,
Si caleat ſitis in medullis ?
Eſt vilis iſthæc Relligio mihi,
Cultusq; vanus ? qui magis hoſtias
Mentis repoſco, vota, laudes,
Et gemitus, lachrymasq; cordis.
Cùm te furenti ſors inamabilis
Vexabit irâ, ſubq; gravi jugo
Preſſum tenebit, nil paueſce
Sollicitâ prece me vocare.
Exaudieris : ſubſidiariam
Adferre dextram nil ego differam;
Et te procelloſo furori
Eripiam ferientis iræ.
At tu, ſolutus præcipitantibus
Periculorum fluctibus, explica
In vota mentem, gratiasq;
Ingenuo mihi redde corde.
Non ſic iniquos blandior aſpici
Rex alloquetur; fronte ſed aſperâ,
Torvoq; vultu, flammeisq;
Luminibus, tonitruq; vocis
Sonante dicet : Tunè reatuum
Fœcunde nequam, tunè fidelibus

Infenſe latro; tunè, recti
Calle procul, memorare legum
Audes mearum gloriam, & improbò
Linguæ venenò aſpergere fœdera
Sancita quondam, & inſtituta
Sacrilegâ temerare voce?
Tu ſanctioris jura modeſtiæ,
Et ſuave recti non patiens jugum
Perferre collò, es execratus,
Quidquid olet pietatis auram.
Tu jura legum ludibrium facis:
Fugis doceri: ſi monita obvient,
Oblivionis nocte mergis,
Perq; jocum meo verba rides.
Cùm fure curris, quò tenuis vocat
Spes in rapinam: jungis adultero
Curas adulter; & ſceleſtum
Quemq; malo ſuperare gaudes?
Injuriarum gutture fertili
Vomis venenum, probraq; deſpuis,
Calumniasq;, infamiasq;, &
Mille dolos ſtruis innocenti.
Quin vel coactis conciliabulis
In damna fratrum conſilia ntibus,
Vel nocte conſultrice tecum
In tragicum, bene cogitato
Tenore fraudis, digeris ordinem,
Ne fallat error. Nec tibi ſanguinis
Diſcrimen ullum eſt, inq; fratrem
Funereas meditaris artes.

 Hæc

Hæc perpetrantem lentus ab æthere
Vidi, nec ultrix ira, volantibus
Pavenda flammis, insolentis
Increpuit furiale pectus.
Silere visus sum tibi, vel parum
Humana cordi sumere, & impia
Impunè pertransire facta:
Menè tui similem arbitraris?
Nunc est tonandum, nunc tibi fulmine
Loquendum ad aures: nunc tibi publicum
Ad solis aspectum retexam
Præteritæ malefacta vitæ.
Impune nullum supplicijs nefas
Suis abibit. Vos, quibus excidit
E corde Numen, dum videtis
Tam rigidâ Themidem bilance
Librare noxas, surgite, surgite
Torpente somno; & supplicijs rea
Spontaneis damnate corda,
Et calidis lachrymis rigatas
Mundate mentes; ne prior occupet
Vindicta sontes, quos neq; gratia,
Semel prehensos, nec patronus
Auxiliô recreare possit.
Benignitatis si specimen juvat
Vos experiri, tollite sanguinem
Taurorum ab aris, candidoq;
Corde pias mihi ferte laudes.
Hæc sola honoris victima Judicis
Restinguit iram, hæc sola minantium

Flam-

Flammam procellarum fauentes
In Charites valet explicare.
Hoc calle greſſum ad ſidera cogite
Nihil morantem, me Duce ; & obvius
Occurret æther ; huc vel ipſa
Vos facili vehet aura voto.

PSALMUS L.

Patrati adulterij & homicidij pœnitens David, orat veniam & abſolutionem ; inſtituendamq́; à ſe meliorem vitam pollicetur.

Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam, &c.

FOns gratiarum, quô fluit obvia
Salus roganti, cûi manus in graves
Eſt parca pœnas, gratiasq́;
Munifico dare prompta cornu !
Clementiæ fons ! me pietas tua
Huc ſupplicantem traxit, & ad tuos
Pedes coëgit. Lenitatis
Eſto tuæ memor, ò mearum
Spes una rerum ! propitiam mihi
Reclude venam, quâ ſcelerum ſoles
Lavare cœnum, meq́; fœdum
Merge tuæ pietatis undâ.
Remerge merſum, ac ampliùs, ampliùs
Munda â reatu, donec inelegans

De-

Deterſa labes me in priorem
Cultum animi ſpeciemq; ducat.
Heu ! noſco tandem, quis ſedeat mihi
In corde Avernus : noſco reatuum
Molem meorum ; criminumq;
Scena meos oculos oberrat,
Mentemq; terret. Nam tibi perfidus,
Ingratus, effrons, ſacrilegè impius,
In te, tuamq; ſanctitatem
Sævitiæ reus involavi.
Tibi : ſed uni (ſi rigidum Themis
Claudat tribunal, nemo coarguat
Actor nocentem, nemo teſtis
Facta probet, meritasq; nemo
Pœnas repoſcat) diſplicuiſſe me
Tibi, bonorum fonti, & origini,
Mariq; amoris ; hæc repoſtos
Spina animi laniat receſſus.
O me ſceleſtum ! non puduit tuos
Læſiſſe vultus ! Tu veniam tamen
Mitis ſpopondiſti dolenti :
Fac, habeant tua verba pondus,
Foroq; vincas, ſi tibi quiſpiam
Blaſphemus auſit dicere: fallere
Te poſſe promiſſis, tuisq;
Pollicitis dubiam futuri
Fidem eſſe dandam. ſi tibi ſubuenit
Meæ nefandum perfidiæ ſcelus,
Meos ad ortus verte vultum :
Hinc tenero mihi primi adhæſit

Labes parentis ; quiq; calentibus
Adhuc medullis fomes inæstuat,
A matre fluxit : nec meæ te
Displiceat meminisse quondam
Sinceritatis ; cum Nathan impio
Mihi exprobraret ducta per improbos
Delicta nexus. Veritatis
Tunc placuit tibi candor, & spem
Dedisti amoris : quin sapientiæ
Arcana sacræ, ac abdita noctibus
Secreta cœli prodidisti,
Quæ fugiunt hominis pusillam
Capacitatem. Nunc igitur mihi
Hyssopi amara aspergine sanguinem
Affunde ; purgatusq; canis
Condidior nivibus recedam.
Dic, voce blandi Patris, amabile
Verbum : Remitto : tunc mihi gaudia
Sinum rigabunt ; tunc resument
Ossa novam vitiata vitam.
Averte vultus, nec mea crimina
Iustæ ultionis fulmina suadeant :
Omnemq; noxam oblivionis
Perpetuô tumula sepulchrô.
His adde pulchræ tegmina gratiæ,
Cordisq; amictum, quô videar tuo
Amore dignus, spiritumq;
Redde mihi studiosum honesti.
Sed nosco quantis seditionibus
Subjecta mens sit ; quàm varium rotet

Si-

Sinum appetitus, quamq; rursus
Cor facili rapiatur æstu
Semper timendos in scopulos suæ
Cupiditatis ; quâ procul abijci
A te meretur : Tu rogantem
Lege tuâ, monitisq; firma.
O si mererer lætitiam tui
Videre JESU ! Tu tamen interim
Me spiritu duc principali,
Quo dominer malè temperatis
Mentis procellis. Tunc ego perditos
Annos refingam : tunc quibus impiæ
Exempla vitæ in omne crimen
Funereâ face præiêrunt,
Verbisq; & actis erudiam tuæ
Per pacta legis currere semitam,
Quam dereliquerunt ; tuosq;
Ante pedes veniam precari.
Sed heu ! recurrit sanguinis innocens
Amnis profusi, qui tacitè arguit
Me parricidali furore
Innocuum caput impulisse
In tela mortis. Tu, DEUS, exime
Hoc me pavore : & mox ego gaudiô
Perfusus, in JESUM reflexæ
Lætitiæ nova signa prodam.
Linguæ solutis da mihi vinculis
Artem loquendi, longa silentia
Rumpam ; ut sonora sim tuarum
Orbi avido tuba gloriarum.

Si

Si victimarum sanguis, & hostiæ
Tibi placerent, sacrificis focis
Non abstinerem : quin calentem
Mille boves tibi, mille ad aram
Hircos cremarem. Sed veterum tibi
Est victimarum nausea; lachrymis
Cor expiatum, spiritusq;
Innocuus, scelerisq; purus,
Tua est voluptas. Nunc igitur pio
Vultu Sionem respice; nec suo
A Rege noxas perpetratas
Non nocuus luat ense civis.
Sionis arces rursus in editas
Extolle nubes, & veteres leva
Muri ruinas, candidaq;
Pace tuum populum tuere.
Exæstuabunt tunc melioribus
Flammis acerræ : tunc tibi victimæ
Gratæ afferentur mente purâ;
Tunc vitulos labiorum amabis.

FINIS.



